DE

DEMOCRITO PHILOSOPHO

HÆC
APUD FACULTATEM LITTERARUM PARISIENSEM
DISPUTABAT

L. LIARD
Olim Scholæ normalis alumnus.

EDEBAT PARISIIS
LADRANGE BIBLIOPOLA
Via dicta Saint-André-des-Arts, 41.

MDCCCLXXIII.

DE

DEMOCRITO PHILOSOPHO

VERSILIIS. — EX TYPIS CERF ET FILII, 59, VIA DICTA DU PLESSIS.

DE

DEMOCRITO PHILOSOPHO

HÆC

APUD FACULTATEM LITTERARUM PARISIENSEM

DISPUTABAT

L. LIARD

Olim Scholæ normalis alumnus.

EDEBAT PARISIIS

LADRANGE BIBLIOPOLA

Via dicta Saint-André-des-Arts, 41.

MDCCCLXXIII.

ERUDITISSIMO VIRO

F. BOUILLIER

OLIM SCHOLÆ NORMALIS RECTORI

D D D

REVERENTISSIMUS

AUCTOR

CAPUT I

DE VITA DEMOCRITI

De Vita Democriti, inter multa commentitia, perpauca certa licet e Græcis Latinisque scriptoribus eruere. A nonnullis quidem apud Laertium Milesius fuisse dicitur [1]; multi contra testes, nec non gravissimi, patriam illi fuisse contendunt Abderam, Thraciæ oppidulum [2]. Hujus erat pater Athenocritus, aut Hegesistratus, aut Damasippus nomine, qui tres filios susceperat, Damasum, Herodotum, et Nostrum natu minorem [3].

Cujus natalem annum aliter alii auctores definierunt. Referebat ipse, in *Parvo Diacosmo*, si Laertio fides adhibenda sit [4], se juvenem fuisse, quo tempore jam senior vivebat Anaxagoras, illo minorem qua-

[1] Diog. Laert., ix, 34; ed. Huebneri.

[2] Diog. Laert., ibid.; Arist., *de Cœl.*, iii, 4; *de Generat. Anim.*, ii, 6, ed. Didot; Plutarch., *Fragm.*, ed. Didot; Suid., v. Δημ., ed. Basil.; Ælian., *Hist. Var.*, iv, 20, ed. Didot; Pomp. Mela, ii, 2.

[3] Diog. Laert., ibid.; Suid., ibid; Ælian, ibid.; Clem. Alex., *Strom.*, vi.

[4] Diog. Laert., ix, 41.

draginta annis, *Parvum*que illum *Diacosmum* a se absolutum fuisse septingentesimo tricesimo anno post Trojæ excidium. Quod si e multis variisque veterum de Trojæ eversæ anno sententiis nihil planum pateat, novimus saltem, Laertio auctore, Anaxagoram viginti annos natum fuisse, quum Xerxes Græciam invasit, id est primo Olympiadis septuagesimæ quintæ anno [1]. Ex hoc igitur constaret Democritum primo Olympiadis octogesimæ anno natum. Haud aliam habuerunt rationem Apollodorus et Aristoteles ipse, quum ille Democritum Olympiade octogesima partu editum, hic vero post Anaxagoram vixisse, aut saltem philosophatum esse scripserint [2]. Quod quidem non infitiantur et Diodorus Siculus qui refert eum anno quadringentesimo quarto, ætatis autem suæ nonagesimo e vita excessisse [3], et Gellius, qui æqualem eum Hippocratis medici et Socratis philosophi, illo tamen natu majorem facit [4], et Thrasyllus, qui memorat eum Socrate anno uno majorem fuisse [5]. Quum igitur non possit ex his certo definiri Democriti natale tempus, nobis satis sit nosse eum circa hanc ætatem vixisse, quæ Anaxagoram, Archelaum, Parmenidem, Zenonem, Protagoram et Socratem protulit [6].

[1] DIOG. LAERT., II, 7.

[2] Apollod., ap. DIOG. LAERT., IX, 41 ; ARIST., *Meteor.*, II, 7.

[3] DIOD. SICUL., XIV, 11, ed., Eyringii.

[4] GELL., *Noct. Attic.*, XVII, 24, ed. Gronovii.

[5] Thrasyl., ap. DIOG. LAERT., IX, 41.

[6] De minoris ponderis auctorum testimoniis loqui supersedemus, Æliani scilicet, qui eum Alexandrum risisse, in *Hist. Var.*, lib. IV, 20, falso memorat, et Eusebii, qui hunc septuagesima Olympiade floruisse narrat.

Fama est Nostrum, mortuo parente, rem familiarem cum fratribus divisisse, et minima parte ex pecunia numerata sibi pro viatico sumpta, ad invisendos diversos homines, discendasque sapientium disciplinas, regiones alienas diu peragrasse [1]. De suis itineribus fert ipse testimonium apud Clementem et Eusebium [2] : « Ἐγὼ δὲ κατ' ἐμεωυτὸν ἀνθρώπων γῆν πλείστην ἐπεπλανησάμην ἱστορέων τὰ μήκιστα καὶ ἀέρας τε καὶ γέας πλείστας εἶδον, καὶ λογίων ἀνθρώπων πλείστων ἐσήκουσα, καὶ γραμμέων ξυνθέσιος μετὰ ἀποδέξιος οὐδείς κώ με παρήλλαξε, οὐδ' οἱ Αἰγυπτίων καλεόμενοι Ἁρπεδονάπται. σὺν τοῖσδ' ἐπὶ πᾶσι ἐπ' ἔτεα ὀγδώκοντα ἐπὶ ξείνης ἐγενήθην [3]. » Quas autem regiones adiit ? Dicitur Indiam, primus Græcorum ante Alexandrum, intravisse, perlustravisse Arabiam, in Ægypto commoratus esse, nec non Magnam Græciam et Athenas invisisse [4]. Rem sane miram ! Eadem fere itinera et a Pythagora et

[1] Diog. Laert., ix, 35. — Val. Max., viii, 7, ed. Lemaire, rem paulo aliter narrat : « Democritus, quum censeri posset divitiis.... quo magis vacuo animo studiis esset operaturus, parva admodum retenta summa, patrimonium patriæ donavit. »

[2] Clem. Alex., *Strom.*, i, p. 304, ed. Sylburg., ap. Mullachium, *Fragm. phil. Græc* ; Euseb., *Præp. Evang.*, x, 2.

[3] Parum verisimile est eum per octoginta annos in Ægypto commoratum esse, etiam si ap. Clem. et Euseb. legatur ὀγδοήκοντα ἔτη. Hæc igitur placet Mullachii conjectura : « Quum autem in numeris per notas scriptis π apud veteres πέντε, posteriori ævo quo minusculis litteris utebantur, superposita vel ascripta lineola ὀγδοήκοντα designaret ; conjicias librariorum incuria utrumque numerum confusum, et ap. Clem. πέντε restituendum esse. » *Fragm. Phil. Græc., de Democ. Abderit.* — Cæterum ap. Diod. Sicul., non parvi ponderis auctorem. legitur : ὑπολαμβάνουσι δὲ καὶ Δημόκριτον παρ' αὐτοῖς ἔτη διατρῖψαι πέντε. i, 98.

[4] Diog. Laert., ix, 35 ; Suid., loc. cit. ; Ælian., loc. cit. ; Clem. Alex., loc. cit. ; Strab., xv ; Diod. Sic , i, 98.

a Platone suscepta absolutaque fuisse feruntur, quasi velint antiqui significare suos sapientes sapientiam ab Oriente hausisse ?

Magis ad rem pertinet quærere et explicare, si modo facultas datur, quos sapientiæ magistros audiverit. Primos habuisse præceptores fertur Magos quosdam et Chaldæos, peritos astrologiæ, quos Xerxes fugiens, patri ejus, in memoriam hospitii, reliquisset [1]. Quod quum Laertius narrat, auctorem præ se fert Herodotum; qui vero, ut Regem refert, dum e Græcia rediret, Abderæ quidem moratum esse, ita non dicit eum hospite usum esse Democriti patre, neque apud hunc Persarum exercitum deversum esse [2], quod Valerius Maximus narrat [3]. Cæterum, si verum est quadraginta annis minorem Anaxagora fuisse Democritum, illumque viginti annos natum quo tempore Xerxes Græciam irruperit, nondum Noster, quum suum regnum rex victus repetivit, natus erat. Non autem Magis solum et Chaldæis ex Oriente magistris usum esse Nostrum referunt; namque si Ægyptum et Indiam invisit, profecto gymnosophistas et pontifices doctrinarum custodes audivit.

Leucippi discipulus duci solet, etsi hujus eum Aristoteles ἑταῖρον tantum nominet [4]. De Leucippi autem vita et placitis fere nihil certi accepimus, ut quo maxime tempore vixerit, et quid peculiare in expli-

[1] Diog. Laert., ix, 34.
[2] Herod., viii, 119, ed. Schweighäuser.
[3] Valer. Max., loc. cit.
[4] *Met.*, i, 4.

canda atomorum doctrina effinxerit ignoremus; quam tamen pro certo habendum esse videtur Democritum perfecisse, quum, ut opiniones multæ ei et Leucippo communes a veteribus referuntur, ita sententiarum quarumdam non nullius ponderis mentio facta sit, quarum unus fuerit repertor [1]; haud igitur immerito Leucippi discipulus et hæres habendus esse videtur.

Anaxagoram idem audivisse a veteribus quibusdam, quorum nos fallunt nomina, dicitur [2]; quum contra a Phavorino apud Laertium referatur Anaxagoram accusavisse quod aliquid ex alienis hortulis sumpserit, idque fecisse iratus quod ab illo hospitio non exceptus fuerit [3]. Secundum vero Demetrium quemdam, cujus mentionem facit Laertius, quum Athenas venisset, ibique propter famæ contemptum, ignotus manere voluisset, Socrati occurrit, quem agnovit, dum ipse non agnitus fuerit [4]; unde sequeretur tum Socratem jam floruisse, Nostrumque neque Anaxagoram videre, neque ab eo repulsam pati potuisse. Quem præterea laudibus Anaxagoram, apud Sextum, extollere, nedum furti eum accusaret, animadvertit Ægidius Menagius [5]. Si vero non ipsum vidit, at saltem scripta ejus legere potuit, quæ tantum apud Socratem juvenem valuerunt [6]; veteres non semel Democritum cum Anaxagora simul nominant, et placita

[1] Arist., passim; Plutarch., *de Plac. phil.*, i, 11, 17, 18; Stob. *Ecl. phys.*, i, 14, 20, 23, ed. Heeren.

[2] Diog. Laert., ix, 36.

[3] Id., ix, 35.

[4] Id., ix, 36.

[5] *Observ. et Emend. in Diog. Laert.*, ix, 34, ed. Lipsiæ.

[6] Plat., Phædo.

plura utrique communia memorant[1]; omnia enim uterque ex elementorum permixtione constare, quanquam non eadem esse putant elementa, confirmant. Plures quoque Pythagoreos audivisse dicitur; namque Thrasyllus apud Laertium: « Δοκεῖ δὲ ζηλωτὴς γεγονέναι καὶ τῶν Πυθαγορικῶν· ἀλλὰ καὶ αὐτοῦ τοῦ Πυθαγόρου μέμνηται, θαυμάζων αὐτὸν ἐν τῷ ὁμωνύμῳ συγγράμματι. Πάντα δὲ δοκεῖ παρὰ τούτου λαβεῖν καὶ αὐτοῦ δ' ἂν ἀκηκοέναι, εἰ μὴ τὰ τῶν χρόνων ἐμάχετο[2]. » Si non ipsum Magistrum, at certe Pythagoreos quosdam audiverat, nempe Philolaum forsitan, quum, secundum Apollodorum, iisdem fuerit ac ille temporibus[3]. Pythagoreos igitur ab eo auditos fuisse mihi verisimilius videtur, quum non nullis eorum opinionibus conveniat; si quis tamen velit eum Pythagoræ fuisse imitatorem, ultra verum labitur, quod plane apparebit, quum sententias ejus explicaverimus. Inter philosophos quorum præcepta acceperit aut sententias sit secutus, non numerantur Eleates; laudabat tamen suis in scriptis Parmenidem et Zenonem[4], quod facile in fidem accipiemus, quum ex iis fere ortus sit, quanquam universarum rerum, quam credit, dissipatio, vehementer cum sententia repugnat Eleaticorum, qui omnia in unum coegerunt et contraxerunt.

Postquam itinera confecit, eorum magistrorum præceptis imbutus, patriam repetivit. Cujus vitæ Græci, miraculorum amantissimi, ficta plurima admiscuerunt. Alii enim tradunt ipsum se oculis pri-

[1] Plutarch., *de Plac. phil.*, I, 17, Stob., *Ecl. phys.*, I, 21.
[2] Diog. Laert., IX, 38.
[3] Ap. Laert., ibid.
[4] Diog. Laert., IX, 42.

vavisse, ne animus a cogitationibus abduceretur [1]; alii, imperium in sua civitate obtinuisse [2]; alii, vixisse inter sepulcra [3]; plurima demum referuntur, mira quidem et maxime incredibilia, quæ profecto postea, quum variis artibus præstaret, inventa sunt [4]. Incertum est an disciplinis in omnibus versari et nulla non doctrina excellere, quam postea famam obtinuit, jam vivus putaretur; etsi a suis civibus *sapientiæ* cognomine auctus fuisse traditur [5], non liquet tamen famam ejus, dum viveret, Abdera exiisse, quum Plato nullam ejus mentionem faciat, non, quod crimen illatum est [6], illi inimicus, sed potius vel illius nominis inscius. Cum Hippocrate sermones eum habuisse quidam confirmant. Non ratio temporum obstat; auctores enim Hippocratem natum esse ferunt octo-

[1] De hac re nihil dicit Diog. — Ap. Gell., x, 17, legitur : « Democritum philosophum in monumentis historiæ græcæ scriptum est virum præter alios venerandum anctoritateque antiqua præditum, luminibus oculorum sua sponte se privasse, quia existimaret cogitationes commentationesque animi sui in contemplandis naturæ rationibus vegetiores et exactiores fore, si eas videndi illecebris et oculorum impedimentis liberasset. » Quod quidem aliam ob causam factum narrat Tertul., in *Apolog.*: « Democritus oculis se privavit, quod mulieres sine cupiditate intueri non posset. » — Rem sane commentitiam esse plane apparet, quum Noster in omnibus physicis calluerit quæ oculorum lumine egent, quam quidem Tull. *Tuscul.*, iv, 39, dubiam, falsam omnino Plutarch. *de Curiosit.*, 12, declarant.

[2] Ælian., loc. cit.; quod quidem parum consentaneum videtur huic democritæo placito : « *ne te publicæ vitæ inseras.* »

[3] Lucian., *in Philosopseud.*; Antisthen., ap. Diog. Laert., ix, 38.

[4] Suid., loc. cit.; Diog. Laert., ix, passim ; Columel., *de R. R.*, xi. sub fine ; Plin., xviii, 28 ; xxx, 1 ; xxxvii, 5 ; Clem. Alex., *Strom.*, vi ; Jul. Imper., *Epist.* 37.

[5] Clem. Alex., *Strom.*, vi ; Ælian., *Hist. Var.*, iv, 20.

[6] Diog. Laert., ix, 40.

gesima Olympiade[1], quem constat æqualem fuisse Socratis[2]. Utrum autem colloquium fecerint necne, auctoritates nullæ confirmant, nisi Laertii, Suidæ, Ælianique quædem loca, et Hippocratis epistolæ. Diogenes autem et Suidas de eo tam incredibilia narrant, ut jure dubitare liceat num colloquium ipsum habitum sit; Ælianus quoque Democritum tradit propter perpetuum risum, Hippocrati primum insanire visum esse; quem autem risum, de quo nihil apud veteres scriptores memoratur, a recentioribus fictum et inventum fuisse putandum est[3]. Epistolæ denique Hippocratis quæ ad rem eam pertinent, non dubie falsæ sunt[4].

Mors ipsa Democriti, ut vita ejus, non sine fictis fabulis narrata est; alii eum fato concessisse ferunt, postquam vitam aliquantum naribus calidi panis aut mellis trahens odorem, sustentaverit[5]; secundum alios mortem sibi ipse conscivit[6]. Nonaginta, secundum Diodorum, centum et octo, secundum Censorinum, secundum vero Hipparchum, centum et novem annos vixerat[7].

[1] Cf. Littré, *Introd. aux Œuv. d'Hippoc.*

[2] Plat., *Protagor.*, p. 311, ed. Steph.

[3] De democritæo risu, Cf. Horat., *Epist.*, ii, 1, Senec., *de Ira*, ii, 10; *de Tranquill.*, 15; Ælian., *Hist. Var.*, iv, 20; Juven., *Sat.* x.

[4] Cf. Littré, loc. cit.

[5] Diog. Laert., ix, 43; Suid., loc. cit.

[6] Lucret., iii, v. 1052; Lucian., *in Longæv.*

[7] Diod. Sic., loc. cit.; Censorin., *de Die Natal.* xv; Hipparch, ap. Diog. Laert., ix, 43.

CAPUT II

DE SCRIPTIS DEMOCRITI [1]

Quum Democritum constet non modo eximio et prope poetico scribendi genere [2], sed etiam abundantia et varietate rerum scriptarum omnes ætatis suæ scriptores superasse, operæ pretium erit pauca de scriptis illius disserere.

Quod aggredientibus, illud primum animadvertendum est Democriti opera a non nullis et vetustioris et citerioris temporis commentariis illustrata fuisse. Primum succurrunt duæ Theophrasti commentationes quarum una *περὶ τῆς Δημοκρίτου ἀστρολογίας α'*, altera *περὶ Δημοκρίτου* inscribebantur [3], quas quidem, etiamsi a solo Diogene laudentur, nemo tamen suppositas

[1] Jam nostrum opusculum in manu judicis erat, quum jamdiu, sed frustra e Germania petitum, venit eruditissimum Fr. G. A. Mullachii opus : *Democriti Abderitæ operum fragmenta, Berolini, 1843*, ex quo, annuente ipso doctissimo judice E. Caro, non nulla depromere contigit, ad nostrum propositum pertinentia, quæ nos apud veteres scriptores democritæos locos indagantes prætervolaverant.

[2] Cic. *de Orat.*, I, 11 ; *de Divinat.*, II, 64; *Orat.*, 20 ; Plutarch.. *Convival. Disput.*, V ; Euseb., *Præp. Evang.*, p. 731.

[3] Diog. Laert., V, 43, 49.

esse suspicabitur; Theophrastus enim, veterum disciplinarum diligens indagator, frequenter ad Democriti doctrinam ex iis quæ temporum injuriam effugerunt, respexisse apparet [1]. — Si fides adhibenda sit Suidæ testi, et auctori cuidam anonymo vitæ Callimachi, quæ hujusce operibus præponi solet, Callimachus Democriti scripta recensuerat *ἐν πίνακι τῶν Δημοκρίτου γλωσσῶν καὶ συνταγμάτων* [2]. In hoc opere continebantur profecto nova vocabula a Democrito usurpata, qui, quamvis Tullio teste, « minime obscurus fuerit » [3],

Indiciis monstrare recentibus abdita rerum

non semel cogebatur, quorum non nulla apud Aristotelem invenire est [4]. Hegesianacta grammaticum quoque scripsisse περὶ τῆς Δημοκρίτου λέξεως nos docet Hermolaus, Stephani epitomator [5]. Quum illi præsertim in interpretandis Democriti vocibus vacaverint, Heraclides Ponticus contra non nullis Democriti institutis illustrandis navavit operam; cujus enim memorat duo opuscula Laertius, unum inscriptum πρὸς Δημόκριτον περὶ τῶν ἐν οὐρανῷ, alterum πρὸς τὸν Δημόκριτον ἐξηγήσεις α′ [6]. Ex citerioris ætatis scriptoribus, unus præclare de Nostro meruit, Thrasyllus scilicet, vir in mathematicis nec non in philosophia eruditus, qui ἐν τοῖς πρὸ τῆς ἀναγνώσεως τῶν

[1] Cf. præsertim *de Sensu.*
[2] Suid., s. v. Καλλιμ.
[3] Cic., *de Divinat.*, II, 64.
[4] *De Cœl.*, IV, 6; *Met.*, I, 4.
[5] In Τρωίας.
[6] Diog. Laert., V, 87, 88.

Δημοκρίτου βιβλίων, Abderitæ scripta per tetralogias digesserat [1].

Majoris esset momenti quæ vere fuerint Democriti opera dijudicare. De illius scriptis duo exstant præcipua testimonia, nec non invicem repugnantia, quorum alterum apud Suidam, alterum apud Laertium invenitur [2]. « Genuini ejus libri duo sunt, ait Suidas, Μέγας Διάκοσμος, et Περὶ φύσεως κοσμοῦ. » Laertius contra, etiamsi non nulla vulgo Democrito tributa omittit, utpote partim corrupta, partim omnium consensu plane aliena, sexaginta tamen illius opera memorat, octo scilicet de ethicis, viginti de naturalibus, undecim de mathematicis, octo de musicis, cætera de re rustica, de medicina, et de variis quæstionibus.

Quum certe neque ad Laertii, neque ad Suidæ ætatem omnia pervenerint Democriti opera, et uterque per se solum parvam fidem præ se ferat, perdifficile est dijudicare cujus testimonium sit potius accipiendum. Placuit igitur indagare qui auctores, tum vetustiores, tum recentiores, de Democriti operibus mentionem fecerint. Libros illi ab iis tributos ibi enumerare, fontibus nominatim indicatis, non fortasse supervacaneum videbitur.

1° Μέγας Διάκοσμος. — A Diogene Laertio, IX, 46, laudatur ut facile cæteris Democriti scriptis præcellens; hunc Suidas, loc. cit, genuinum declarat : quem memorat quoque Athenæus, IV, 19, ut legitimum Democriti partum. Ad initium hujus operis respicere

[1] Diog. Laert., IX, 41, 45.
[2] Suid., v. Δημ.; Diog. Laert., IX, 46, 49.

videtur Tullius, *Acad.*, II, 23 : « Quid loquar de Democrito ? Quem cum eo conferre possumus non modo ingenii magnitudine, sed etiam animi ? Qui ita sit ausus ordiri : *Hæc loquor de universis.* Nihil excipit de quo non profiteatur. » Haud immerito animadvertit Mullachius (loc. cit.) falli Menagium, *ad Laert.*, IX, 46, « in eo quod ab Epicuro in epistola ad Herodotum scripta ap. Diog., lib. X, 35-83, *Magnum Diacosmum* germanum ingenii Democriti fœtum appellari contendit. Nulla ibi ejus rei commemoratio. »

2° Κοσμογραφίη. — Diog. Laert., IX, 46. — Hujus libri nulla apud alium fit mentio, quem tamen genuinum declarare ausserim ; Strabo enim, auctoritate præstantissimus, in operis sui initio, Democritum annumerat inter eos qui primi post Homerum geographiam attigerunt.

3° Περὶ τῶν πλανήτων. — Diog. Laert., ibid. — Ægidio Menagio ad hunc librum spectare haud immerito visus est Seneca, quum ait : « Democritus quoque, subtilissimus antiquorum omnium, suspicari ait se plures stellas esse quæ currant ; sed nec numerum illarum posuit, nec nomina, nondum comprehensis quinque siderum cursibus. » *Natur. Quæst.*, Lib. ult., c. 3. « Huc porro, ait Mullachius, loc. cit., respicit Aristoteles, *Meteor.*, lib. I, cap. 6, testificans Anaxagoram et Democritum statuisse cometas planetarum esse conjunctionem, quum propter cursus viciniam invicem tangere videantur. Utitur autem his verbis : « 'Αναξαγόρας μὲν οὖν καὶ Δημόκριτός φασιν εἶναι τοὺς κομήτας σύμφασιν τῶν πλανήτων ἀστέρων, ὅταν διὰ τὸ πλησίον ἐλθεῖν δόξωσι θιγγάνειν ἀλλήλων. »

4° Περὶ χυμῶν. — Diog. Laert., ibid. — Quo sub titulo, inter libros Hippocraticos, inscriptus Hippocratis nomine prodiit unus, quem tamen non nulli, præsertimque Cesalpinus in *Art. Med.* v, 1, Democriti esse voluerunt, alii contra hunc ab Hippocrate scriptum esse contendunt. Sin autem viro cuidam inter eruditissimos præstanti credere convenit, ne ad hippocraticam quidem ætatem tractatus ille referendus est. (Littré, *Introd. aux Œuv. d'Hippoc.*).

5° Περὶ τῶν διαφερόντων ῥυσμῶν. — Diog. Laert., IX, 47. — Visum est Suidæ, v. ῥυσμός, et Menagio, *Adnot. ad. Laert.*, IX, 47, illud vocabulum ῥυσμός inter peculiares voces a Democrito usurpatas annumerandum esse; Mullachius autem locum Herodoti, v, 58, ὁ ῥυθμὸς τῶν γραμμάτων, proferens, censet ῥυσμόν ab Abderita pro ῥυθμῷ usurpatum fuisse. — Librum autem περὶ τῶν διαφερόντων ῥυσμῶν inscriptum etiamsi a nullo alio citetur, inter Democriti legitimos partus haud difficile annumerarem; ῥυσμός enim, ut ex Aristotelis *Met.*, I, 4, patet, *formam* in democritea lingua significabat; quum autem forma sit unum e tribus quibus inter se atomi differre a Democrito proferuntur (Arist., *Met.*, I, 4) non mirum est Democritum de diversis atomorum figuris scripsisse.

6° Κρατυντήρια. — Diog. Laert., IX, 47. — Citatur hoc opus a Sexto Empirico, *Adv. Logic.*, I, p. 399, ed. Fabric. « In his, inquit, Κρατυντηρίοις præcipuum robur et κράτος τῆς πίστεως petiisse ab experimentis, sensuum usu compertis videtur. » Cujus quoque meminit Suidas, v. Κρατυντήρια : « ἔγραψε Δημόκριτος ὁ

Ἀβδηρίτης βιβλίον, ὅπερ ἐστὶν ἐπικριτικὸν πάντων τῶν γραφέντων αὐτῷ βιβλίων. »

7° Περὶ εἰδώλου ἢ περὶ προνοίης. — Diog. Laert., ibid.— Nos docent Cic., *de Natur. Deor.*, I, 12, Plutarch., *Sympos.*, VIII, 10, Sextus Empir., IX, *adv. Mathem.*, Democritum non nulla scripsisse de divinatione; haud igitur immerito arbitraberis hunc in hoc opusculo suam de imaginibus divinitate præditis sententiam aperuisse.

8° Περὶ λογικῶν κανῶν α'β'γ'. — Diog., Laert., ibid. — In veteribus Laertii codicibus legitur περὶ λοιμῶν κανῶν, quod sensu destitutum apparet. Feliciter igitur mutaverunt in λογικῶν κανῶν recentiores critici. Etenim apud Sext. Empir., *adv. Math.*, p. 163, legitur : « ἐν δὲ τοῖς κανόσι δύο φησὶν [Δημόκριτος] εἶναι γνώσεις. » Fortasse alium librum περὶ λοιμῶν κακῶν scripserat Abderita. Gellius enim ait : « Ego nuperrime in libro Theophrasti scriptum inveni viperarum morsibus tibicinem scite modulateque adhibitum mederi. Refert etiam idem Democriti librum qui inscribitur περὶ λοιμῶν ἢ λοιμικῶν κακῶν : in quo docet plurimis hominum morsibus medicinam fuisse incentiones tibiarum. » *Noct. Attic.*, IV, 13.

9° Περὶ τῶν ἐν Ἅδου.— Diog. Laert., IX, 46. — Hujusce meminerunt Athenæus, IV, 19, Proclus, in *Comment. in Platonis Remp.*, X, p. 614, ed. Steph., et Suidas ipse, v. Τριτογένεια. Patet etiam hoc opus omnium consensu Democrito tributum fuisse; auctor enim epistolæ quæ sub Senatus Populique Abderitæ nomine ad Hippocratem de Democrito furente scripta est, ad hunc Democriti librum respexit, ratus scilicet fidem habituram hanc commentitiam epistolam,

si ad quoddam opus Democriti genuinum referri posset.

10° Τριτογένεια. — Diog. Laert., IX, 46. — Rem sane mirandam ! Suidas ipse, quem nuper declarantem audivimus duo tantum esse Democriti genuina opera, ibi, nec non alias, ut paulo ante vidimus, sibimet ipsi repugnat, hoc opus Democrito tribuens, v. τριτογένεια. Quod quidem nos monet ne nimiam illi fidem adhibeamus. Ad hunc Democriti librum respexerat Isaac. Tzetzes, *ad Lycophronis Alexand.*, v. 519, quum de variis hujusce vocis sensibus agens, ait : « .... ἢ ὅτι κατὰ Δημόκριτον τρία ταῦτα χαρίζεται, βουλεύειν καλῶς, κρίνειν ὀρθῶς, πράττειν δικαίως », et apertius quidem Eustathius *ad Iliad.* Θ, p. 696, 37 : « Τριτογένεια δὲ ἀλληγορικῶς ἡ φρόνησις, ἐπεὶ κατὰ Δημόκριτον τρία γίνεται ταῦτα ἐξ αὐτῆς, τὸ εὖ λογίζεσθαι, τὸ λέγειν καλῶς τὸ νοηθὲν, καὶ τὸ ὀρθῶς πράττειν αὐτο. »

11° Ἀμαλθείης κέρας. — Diog. Laert., IX, 46. — « Quo titulo nihil frequentius apud veteres. Gellius, *Noct. Attic.*, lib. XX, C. XII, p. 805, ed. Mosellan,: namque alii *Musarum* inscripserunt, alii *Sylvarum*, ille κηρίον, alius κέρας Ἀμαλθείας, etc. Plinius, *Nat. Hist.* lib. I, p. 3, ed. Miller : « Inscriptionis apud græcos mira felicitas : κηρίον inscripsere, quod volebant intelligi *favum ;* alii κέρας Ἀμαλθείας, quod *Copiæ cornu*, etc. » Mullachius, loc. cit.

12° Περὶ Εὐθυμίης. — Diog. Laert., IX, 46. — Liber ille sine dubio usque ad Senecæ ætatem pervenerat ; scripsit enim ille *in Tranquillit.*, 2 : « Hanc stabilem animi sedem græci εὐθυμίαν vocant, de qua Democriti volumen egregium est; ego tranquillitatem voco. »

13° Περὶ τῶν ἐν Βαβυλῶνι ἱερῶν γραμμάτων. — Diog. Laert., IX, 49. — Ad hunc respexisse videntur et Clemens Alexandrinus, *Strom.*, I, p. 131, ed. Sylb.: « Δημόκριτος τοὺς βαβυλωνίους λόγους ἠθικοὺς πεποίηται, » et Eusebius, *Præp. Evang.*, X, 4: « Δημόκριτος τοὺς βαβυλωνίους λόγους ἠθικοὺς πεποιῆσθαι λέγεται.»

14° Χέρνιβα. — Diog. Laert., IX, 49. — Casaubonus hunc titulum in *Chirocineta* mutandum esse censebat; legitur enim apud Plinium, XXIV, 17: « Democriti certe Chirocineta esse constat. » Sed recte emendavisse videtur Salmasius in *Chirocmeta*, ex his Vitruvii verbis: «Multas res attendens, admiror etiam Democriti de rerum natura volumina, et ejus commentarium quod inscribitur χειρόκμητον (ex emendatione Salmasii), in quo utebatur annulo; signans cera molli quæ esset expertus.» Antiqui critici, ait Menagius, locis dubiis de quibus amplius quærendum esset, aut etiam notabilibus adfigebant frustula ex cera..... Democritus in eo commentario quo rerum naturalium arcana et abdita scrutabatur, iis paradoxis, quæ ipse vera expertus erat, notas illas e cera adfigere solebat, et annulo signatas. Annulus autem χειρόκμητον dicebatur, hoc est manu sculptum, manu elaboratum..... Hinc igitur libro Democriti titulus, quod totus esset ex illis quæstionibus quas ipse experimento veras esse didicerat et quibus propterea cerulas annulo suo signatas adposuerat.» *Observat. in Diog. Laert.*, lib. IX. — Sed, ut non latuit Menagium, obstare videntur Plinii verba: « Democriti certe Chirocineta esse constat. At in his ille post Pythagoram magorum studiosissimus, quanto portentosiora tradit. » « Quomodo enim tot portentis

refertus erat libellus ille, si rebus constabat quas ipse auctor experimento veras esse didicerat? » Cf. Bayle, art. *Démocrite*.

15° Περὶ ἀλόγων γραμμέων καὶ ναστῶν β'. — Diog. Laert., XI, 48. — Nos docet Plutarchus Democritum de *lineis irrationalibus* scripsisse ; constat quoque eum, ex Stobæo, *Ecl. phys.*, 306, vocabulum ναστά pro solidis usurpasse, et peculiare habuisse; quam ob causam non dubitaverim hunc librum inter illius legitimos partus annumerare.

16° Αἰτίαι περὶ σπερμάτων καὶ καρπῶν. — Diog. Laert., IX, 48. — Ad hoc opus respicere videntur Plinius, XXV, 2 : « Homerus et alias nominatim herbas celebrat, quas suis locis dicemus. Ab eo Pythagoras, clarus sapientia, primus de earum effectu volumen composuit, Apollini Æsculapioque et in totum diis immortalibus inventione et origine assignata. Composuit et Democritus ambo peragratis et Persidis, Arabiæ, Æthiopiæ Ægyptique magis. » Et Petronius : « Omnium herbarum succos Democritus expressit, et ne lapidum virgultorumque vis lateret, ætatem inter experimenta consumpsit. »

17° Περὶ γεωργίης ἢ γεωργικόν. — Diog. Laert., XI, 48. — Hic liber nemo dubitaverit quin genuinus sit, quippe Democritus frequenter citatur a Cassiano in Geoponicis, et memoratur inter philosophos qui de re rustica scripsere a Varrone, *de R. R.*, I, 8, et Columella, *de R. R.*, I, 2. Quin etiam liber ille nominatim designatur a Columella, XI, 3 : « Democritus in eo libro quem *Georgicon* appellavit, parum prudenter censuit eos facere qui hortis extruant munimenta. »

18° Περὶ ποιήσεως. — Diog. Laert., IX, 48. — Ex hoc libro aliquis facile conjiciat desumptum esse quod de poeta ex Democrito refert Clemens Alexandrinus, *Strom.*, VI : « εἶτα περὶ μὲν ποιητικῆς Πλάτων· Κοῦφον γάρ τι χρῆμα καὶ ἱερὸν ποιητής, γράφει, καὶ οὐχ οἷος τε ποιεῖν, πρὶν ἂν ἔνθεός τε καὶ ἔκφρων γένηται, καὶ ὁ Δημόκριτος ὁμοίως. Ποιητὴς δὲ ἅσσα μὲν ἂν γράφῃ μετ' ἐνθουσιασμοῦ καὶ ἱεροῦ πνεύματος, καλὰ κάρτα ἐστίν. » — Hoc Abderitæ opus allegare videtur Flaccus, in *Epist. ad Pison.* :

> Ingenium misera quia fortunatius arte
> Credit, et excludit sanos Helicone poetas
> Democritus.....

19° Περὶ Ὁμήρου. — Diog. Laert., IX, 48. — Judicium Democriti de Homero, quod recitat Dio Chrysostomus, *orat.* LVII, init., ex hoc opusculo petitum conjicit Mullachius, loc. cit.

20° Περὶ τέλους. — Cujus nulla apud Laertium fit mentio; cujus autem meminit Clemens Alexandrinus, loc. cit. : « Δημόκριτος ἐν τῷ περὶ τέλους τὴν εὐθυμίαν ἣν εὐεστὼ προσηγόρευσεν, βίου τέλος εἶναι ἔφη. »

21° Περὶ ἰδεῶν. — Tantummodo citatur a Sexto Empirico, *adv. Math.*, p. 399, ed. Fabric. « ἐν δὲ τῷ περὶ ἰδεῶν, γιγνώσκειν τε χρή, φησιν, ἄνθρωπον τῷδε τῷ κανόνι. »

22° Περὶ ἀντιπαθῶν. — Hujus libelli mentionem facit Columella *de R. R.*, XI, sub fine : « Sed Democritus, in eo libro qui græce inscribitur περὶ ἀντιπαθῶν, affirmat has ipsas bestiolas (erucas scilicet) enecari si mulier quæ in menstruis est, solutis crinibus et nudo pede unamquamque aream ter circumeat; post hoc enim decidere omnes vermiculos et ita emori. »

23° Plurima quoque Nostrum adversus Protagoram scripsisse, Plutarcho auctore, constat. *Adv. Colot.*, 4.

24° Alius libellus de vi et natura Chamæleontis Democrito a Plinio tribuitur, XXVIII, 18, qui certe inter aliena opera est annumerandus, quippe qui portentosa contineat, multum abhorrentia ab illa *adamantina mente* adversus præstigia quæ Democrito fuisse dicitur. Cæterum de hoc libello sic fatur Gellius : « Librum esse Democriti nobilissimi philosophorum de vi ac natura Chamæleontis eumque se legisse Plinius Secundus in Naturalis Historiæ vicesimo octavo refert ; multaque vana et intoleranda auribus deinde quasi a Democrito scripta tradit..... His portentis atque præstigiis a Plinio Secundo scriptis non dignum esse cognomen Democriti puto..... Multa autem videntur ab hominibus istis male solertibus hujusce modi commenta fuisse in Democriti nomen, nobilitatis auctoritatisque ejus perfugio utentibus. »

25° Denique non nulli libri de Morbis, de Medicamentis, de Anatome illi ab Aureliano Cœlio tribuuntur. Cf. Littré, loc. cit.

Ex his breviter concludamus multa falsa sub Democriti nomine prodiisse, quæ præsertim a Romanis scriptoribus accepta fuerunt, non tamen Suidæ duo tantum genuina opera illi assignantis sententiam accipiendam esse, potius autem Laertio assentiendum.

CAPUT III

DE PLACITIS DEMOCRITI

I Non ita difficile est certa ratione definire unde orta sit atomorum doctrina, et quid ante Socraticam disciplinam valuerit; constat enim eam originem duxisse ex Ionicorum Eleaticorumque discrepantia, quorum certaminibus, vel insciis ipsis auctoribus, vere media intervenit.

Utrique enim, quum rerum universarum causam et rationem quærerent, ita tamen ut non iisdem a principiis proficiscerentur, viasque sequerentur diversas, ad opiniones ex aliqua parte deficientes, atque inter se valde repugnantes pervenerant.

Ionici enim ea solum amplexi quæ sub sensus subjecta sunt, nihil nisi per sensus cognosci arbitrantur, neque lucem etiam mentis esse suspicantur, aut si eam forte prospicere videntur, non inde corpora sciunt illustrare; ut ommino corporale sit illud quo explicare universa volunt, aqua scilicet, ut Thales putavit; aer, ut Anaximenes; ignis, ut Diogenes, Apollonius et Heraclites; ea omnia simul et terra, ut Empedocles; corporales homæomeriæ, ut

Anaxagoras; aliquid nempe sensile, quo continentur contraria, et unde res effluunt universæ.

Eleates vero illis plane adversantur; mentem enim sensibus, rationem opinioni opponunt, quum sensibus res proferantur quæ plures sunt, et variæ, quæ denique moventur, ratione contra agnoscatur id tantum modo esse quod unum sit. Nihil enim secundum eos existit nisi τὸ ὄν; ultra nihil est. Porro numerus, varietas, generatio et corruptio in spatio sunt et fiunt. Quid autem spatium? Id scilicet quo τὸ ὄν continetur, quod igitur extra illud est, itaque omnino non est. Si vero spatium non est, nihil est intervalli inter corpora aut mundi partes; unum igitur est τὸ ὄν, et qui putatur rerum numerus, vana effingitur species. Præterea motus, quum in loco quodam fieri debeat, si nullum est spatium, nullus et ipse est. Generatio denique et corruptio, quæ motus sunt, sine spatio, nullæ sunt : quare immutabile est quod est. Ergo, quum unitatem, immobilitatem, immutabilitatem τοῦ ὄντος ratio declaret, mentiuntur sensus, neque fieri possunt numerus, motus, vel mutationes.

Temporum quidem rationem consideranti, inter eas frontibus adversis pugnantes scholas, transitus fuit Pythagoreorum disciplina; res vero perpendenti, inter utramque quasi internuntia. Pythagorei enim cum Ionicis consentiunt, quum existere credunt quæ numerari possunt; cum Eleaticis, quum via rationali tantum utuntur. Namque in rebus nihil sensibile invenerunt, sed numeros, quos ideo principia rerum esse arbitrantur. Corporalia igitur nulla esse habent, non ita tamen ut Eleaticorum immobilem et indivisam simplicitatem admittant; non aliter rerum

negant esse multitudinem, ita ut numerus tantum sit, in quo finitum et infinitum, unitas et multiplicitas miscentur. Conjiciendum est primis Pythagoreis numeros non exemplaria rerum tantummodo fuisse, sed res ipsas; qua sententia quum multitudinem rerum, quæ sensibus deprehenditur, non omnino deleant, sed multiplicem esse numeri unitatem, mente conceptam, profiteantur, rationi satisfaciunt, neque tamen iis repugnant quæ maxime sensibus declarantur.

Sed non per numeros tantum cum ea, quæ sentitur, multitudine, quæ intelligitur unitatem componere licet. Pythagoreus quidam, Ecphantes Syracusensis, quasi materiem meris numeris a Pythagora cogitatis subjiciens, monadas, ut a Stobæo refertur, corporales esse arbitrabatur [1]. Ex illa Pythagoricæ doctrinæ corruptione viam habuit altera quædam doctrina quæ potius haberi potest Ionicarum et Eleaticarum disciplinarum societas et compositio; mundum nempe effingens geometricum, qui ex elementis quidem extensis constaret, et variis iisdem (quod sensuum congruit testimonio), quorum vero quodque (ut ratio postulare videbatur) per se ipsum indivisum esset æternumque et immutabile. Hanc doctrinam qua quod Parmenides de unica substantia et rerum universa natura dixerat, id de singulis putatur substantiis quæ sensibus deprehenduntur, inve-

[1] *Ecl. phys.*, I, 27.

nerunt Leucippus et Democritus [1]. Per hanc disciplinam græca sapientia ad sophisticam pervenire debebat; necesse erat ut contrarias doctrinas inter se componi et conciliari tentaretur, antequam mens humana, quum tam discrepantes doctrinas fastidiens, tum spe magnifica depulsa, de veri indagatione desistendo quiesceret.

Atomorum repertoribus ante omnia duplex propositum erat: nempe primo adversus physicos probandum, etsi non nihil essent res corporales, tamen non sensibus verum recte definiri, quos igitur non unice sequi deberet is qui velit rerum quærere principia; deinde adversus Eleates, etsi non infitiarentur omnino quæ illi rationibus invenerant, demonstrandum existere multitudinem, motum, generationem et corruptionem. Ita, utrorumque nimiis confutatis opinionibus, sensibus simul et rationi morem gerebant, quum, ut non negaretur esse multitudinem, ita de naturæ elementis id confirmaretur quod ratione declaratum esset. Constat equidem ab hoc duplici proposito perficiendo incepisse atomorum inventores.

Ionici plane sensuum testimonium acceperant, et reipsa putaverant existere quidquid in corporibus appareat; quem errorem Democritus confutat argumentis, quæ postea a Platone usurpata sunt : calidum scilicet et frigidum, dulce et amarum, candidum et nigrum, omnes denique inter se contrarias qualitates,

[1] Sext. Emp., *adv. Logic.*, vii, p. 399, ed. *Fabric.* Cf., Plutarch., *adv. Colot*, vii; Stob. *Ecl. phys.*, passim; Theoph. *de Sensu*, 63; Arist. *de Sens. et Sensil.*, iv, Diog. Laert., ix, 45. — Cf. Zeller. *Die phil. der Griech.*, th. i, p. 579, sq.

non in rebus, sed in nobis existere. « Forma, inquit apud Sextum, dulce et forma amarum; forma calidum et forma frigidum; forma color[1]. » De his « singulis est opinio prout res quemque affecerit[2]. » Quo autem pacto vera testari crederemus testes qui rem unam pariter calidam esse et frigidam, dulcem et amaram, nigram et candidam testantur? Aliquid igitur est, quoties sentimus, quod non de re proficiscatur, quod contra ipsi gignamus, quod denique, quum aliud sit in aliis hominibus, neque eodem quidem in homine immutatum permaneat, verum haberi nequeat. Quæ ergo sentimus, tot mutationibus subjecta, specie quidem, non reipsa existunt, ut scire ea non possimus, sed conjicere et opinari.

Illi vero obscuriori et haud genuino sciendi generi, alterum Democritus clarum et genuinum opponebat; quorum prius fit oculis, auribus, gustu, naribus, tactu, posterius autem mente et cogitatione; ut si quis non ultra ea procedit quæ sensibus apparent, citra verum maneat; ille vero qui longius procedit, pervenit ad verum, quum verum, in iis quæ sentiuntur implicitum, sensus tamen ipsos fugiat[3]: imaginibus enim variis et mutabilibus quas colores et odores et sapores vocamus, clara forma et vera idea reconditur, ut rationis sit verum a veri specie, certum ab opinione, claram notitiam a confusa imagine sejungere. « Quum tenebricosa nec genuina cognitio non potest amplius videre, nec audire, nec odo-

[1] Sext. Emp., *adv. Logic.*, VII, p. 399.
[2] Ibid.
[3] Arist. *de Gen. et Corr.*, I, 2; *Met.*, III, 5.

rari, nec tactu sentire, ad subtilius [confugiendum est][1]. Verum illud ad quod pervenimus, etsi sensu nullo percipi possit, tamen quasi communis sensuum materia est; namque ut nihil veri sentimus, ita veri aliquid inest sensibus, quum id intelligat quod sentit, et sentire nihil aliud sit ac quodam modo intelligere.

Itaque cum vera rerum natura repugnant Eleatici. Unum esse τὸ ὄν et immutatum et immotum confirmant; sensus vero, si omittimus quæ inter se repugnant de contrariis rerum qualitatibus, multitudinem et motum esse testantur. Si vacuum esse negas, aiebant Eleatici, nullus motus; vacuum autem esse non potest. Quibus Leucippus et Democritus respondebant experimentis quæ illis simul atque aliis physicis ab Aristotele tribuuntur. Corpora quædam comprimi posse videntur, ut vinum utre inclusum; quod minime intelligi potest, nisi in illa exigua intervalla sint, quæ compressi liquoris penetrent particulæ; per vacuum quoque nutriuntur animalia omnia, namque necesse est inter corporis particulas spatium sit, ubi collocentur ea quæ cibo afferuntur; vas denique cineribus plenum non minus aquæ recipit ac si vacuum est, unde confirmatur exigua cineris particulis foramina interesse; aliter enim locum eumdem obtinerent simul aqua et cinis[2]. Zeno præterea addiderat materiam, si dividi potest, infinite posse. Democritus ita probabat eam non ad infinitum dividi : fac infinite eam secari posse; si

[1] Sext. Emp., loc. cit.
[2] *Phys.*, i, 8.

rem quamcunque millies diviseris, quid supererit? Aut nihil, aut aliquid. Si nihil, ex nihilo composita corpora ex nihilo orientur; quod absurdum est. Sin autem aliquid, num extensum erit illud? Quod fieri minime potest, aut restat aliquid quod nondum divisum est; iterum igitur, usque ad infinitum, id divide; postremo aut nihil aut extensum aliquid invenies. Ex nihilo igitur gignuntur corpora, aut (quod non minus absurdum) ex inextenso materiam extensam trahis. Quod si nihil restat extensi, at tantum modo quasi virtus aliqua, iterum rationi repugnat ex inextenso extensum aliquid exstare. Ex nihilo nihil; necesse est igitur, si dividere perseveres, ad extremum id invenias quod jam dividi non possit[1].

De iis quæ dividi non possunt jam id putetur quod de τῷ ὄντι Eleates, rationem secuti crediderunt; incorrupta habeantur, æterna atque immutabilia; tum rationalis unitas cum multitudine sensibili congruet et consentiet. Ex Eleatica disciplina notitiam τοῦ ὄντος, ex Ionica τῶν ὄντων multitudinem retinuerimus: itaque in locum eorum quæ apparent iis quæ intelliguntur subjectis, quod utrique disciplinæ inest nimii et arrogantioris effugerimus.

Plures eorum, qui de philosophiæ historia scripserunt, propterea quod non intellexerunt mediam fuisse inter contrarias disciplinas atomorum rationem, eam voluerunt fuisse non finem ad quem natura pervenire deberet primus græcæ sapientiæ cur-

[1] Arist. *de Gen. et Corr.*, I, 2.

sus, sed initium potius artis sophistarum [1]. Quod argumentis et ex re et extrinsecus ductis probatum est. Candidam enim Democriti superbiam longa sua itinera narrantis, atque a capta Troja tempus Parvi Diacosmi definientis, præterea magnificum unius ejus operis initium [2], denique ipsius *polymathiam* quæ perfecta esse non potuit, neque ad unam rationem unumque quasi caput conjungi et aptari, manifeste sophistam olere quidam arbitrati sunt [3]. Quod facile auctor quidam germanus, vir doctissimus, confutavit [4]. Graviora vero ea sunt argumenta quæ diximus ex visceribus rei ducta; quibus itaque paulisper immorandum est. Quædam enim ex veteribus ita excerpta et collecta sunt, ut inde sequi videatur nihil certi esse credidisse Democritum; ut apud Aristotelem hoc legitur : « Τὸ μὲν γὰρ ἀληθὲς οὐ πλήθει κρίνεσθαι οἴονται προσήκειν οὐδὲ ὀλιγότητι, τὸ δ'αὐτὸ τοῖς μὲν γλυκὺ γευομένοις δοκεῖν εἶναι, τοῖς δὲ πικρόν· ὥστ'εἰ πάντες ἔκαμνον ἢ πάντες παρεφρόνουν, δύο δ'ἢ τρεῖς ὑγίαινον ἢ νοῦν εἶχον, δοκεῖν ἂν τούτους κάμνειν καὶ παραφρονεῖν, τοὺς δ'ἄλλους οὔ. Ἔτι δὲ πολλοῖς τῶν ἄλλων ζῴων ταὐναντία περὶ τῶν αὐτῶν φαίνεσθαι καὶ ἡμῖν, καὶ αὐτῷ δὲ ἑκάστῳ πρὸς αὐτὸν οὐ ταὐτὰ κατὰ τὴν αἴσθησιν ἀεὶ δοκεῖν. Ποῖα οὖν τούτων ἀληθῆ ἢ ψευδῆ, ἄδηλον·

[1] V. Ritter, *Hist. de la Phil.* t. I, lib. VI, c. 1, 2. — Lafaist *Dissertat. sur la phil. atom.*, p, 93, sq.

[2] « Quid loquar de Democrito ? Quem cum eo conferre possumus, non modo ingenii magnitudine, sed etiam animi, qui ita sit ausus exorditi : Hæc loquor de universis. » Cic., *Acad.*, II, 23.

[3] Ritter, loc. cit.

[4] Zeller, *die phil. der Griech.*, Th. I, p. 647. sq.

οὐθὲν γὰρ μᾶλλον τάδε ἢ τάδε ἀληθῆ ἀλλ' ὁμοίως. Διὸ Δημόκριτος γέ φησιν ἤτοι οὐθὲν εἶναι ἀληθὲς ἢ ἡμῖν γε ἄδηλον [1]. » Item apud Diogenem Laertium : « Ταύτης δὲ τῆς αἱρέσεως (σκεπτικῆς) ἔνιοί φασιν Ὅμηρον κατάρξαι, ἐπεὶ περὶ τῶν αὐτῶν πραγμάτων παρ' ὅντιν' ἄλλοτε ἄλλως ἀποφαίνεται, καὶ οὐδὲν ὁρικῶς δογματίζει περὶ τὴν ἀπόφασιν· ἐπεὶ καὶ τὰ τῶν ἑπτὰ σοφῶν σκεπτικὰ εἶναι, οἷον τὸ Μηδὲν ἄγαν καὶ Ἐγγύα, πάρα δ' ἄτα· δηλοῦσθαι τῷ βεβαίως καὶ πεπεισμένως διεγγυωμένῳ ἐπακολουθεῖν ἄτην· ἀλλὰ καὶ Ἀρχίλοχον καὶ Εὐριπίδην σκεπτικῶς ἔχειν... οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ Ξενοφάνης καὶ Ζήνων ὁ Ἐλεάτης καὶ Δημόκριτος κατ' αὐτοὺς σκεπτικοὶ τυγχάνουσιν.... Δημόκριτος δὲ τὰς ποιότητας ἐκβαλὼν, ἵνα φησί· Νόμῳ ψυχρὸν, νόμῳ θερμὸν, ἐτεῇ δὲ ἄτομα καὶ κενόν· καὶ πάλιν· ἐτεῇ δὲ οὐδὲν ἴδμεν· ἐν βυθῷ γὰρ ἡ ἀλήθεια [2].» Hoc quoque Sexti citatur : « Ἐν δὲ τοῖς Κρατυντηρίοις, καίπερ ὑπεσχημένος ταῖς αἰσθήσεσι τὸ κράτος τῆς πίστεως ἀναθεῖναι, οὐδὲν ἧττον εὑρίσκεται τούτων καταδικάζων· φησὶ γάρ, « ἡμεῖς δὲ τῷ μὲν ἐόντι οὐδὲν ἀτρεκὲς συνίεμεν, μεταπῖπτον δὲ κατά τε σώματος διαθήκην καὶ τῶν ἐπεισιόντων καὶ τῶν ἀντιστηριζόντων, » καὶ πάλιν φησί· « ἐτεῇ μέν νυν ὅτι οἷον ἕκαστόν ἐστιν ἢ οὐκ ἔστιν, οὐ συνίεμεν, πολλαχῇ δεδήλωται.» Ἐν δὲ τῷ περὶ Ἰδεῶν « γιγνώσκειν τε χρή, φησίν, ἄνθρωπον τῷδε τῷ κανόνι ὅτι ἐτεῆς ἀπήλλακται », καὶ πάλιν, « δηλοῖ μὲν δὴ καὶ οὗτος ὁ λόγος ὅτι ἐτεῇ οὐδὲν ἴσμεν περὶ οὐδενός, ἀλλ' ἐπιρρυσμίη ἑκάστοισιν ἡ δόξις [3]. » Denique apud Marcum Tullium Democritus ipse ita loquitur : « Nego scire nos sciamusne aliquid an nihil scia-

[1] *Met.*, III, 5.
[2] Diog. Laert., IX. 71, 72.
[3] Sext. Emp., *adv. Logic.*, VII, 399, 400.

mus; ne id ipsum quidem nescire aut scire; nec omnino sitne aliquid aut nihil sit [1]. »

Quibus autem cum locis pugnant contraria, iisdem ex fontibus hausta, æquæ igitur auctoritatis. Quem supra Aristotelis locum citavimus, hoc sequitur : « Διὰ τὸ ὑπολαμβάνειν φρόνησιν μὲν τὴν αἴσθησιν, ταύτην δ'εἶναι ἀλλοίωσιν, τὸ φαινόμενον κατὰ τὴν αἴσθησιν ἐξ ἀνάγκης ἀληθὲς εἶναί φασιν [2]. » Inest igitur aliquid veri in his quæ sentimus. Legitur præterea apud Diogenem : « Ἀρχὰς εἶναι τῶν ὅλων ἀτόμους καὶ κενόν, τὰ δ' ἄλλα πάντα νενομίσθαι [3]. » Totum denique capitulum Sextus composuit, ut monstraret quo sceptica disciplina differat a Democriti doctrina : « Ἀλλὰ καὶ ἡ Δημοκρίτειος φιλοσοφία λέγεται κοινωνίαν ἔχειν πρὸς τὴν σκέψιν, ἐπεὶ δοκεῖ τῇ αὐτῇ ὕλῃ ἡμῖν κεχρῆσθαι· ἀπὸ γὰρ τοῦ τοῖς μὲν γλυκὺ φαίνεσθαι τὸ μέλι, τοῖς δὲ πικρόν, τὸν Δημόκριτον ἐπιλογίζεσθαί φασι τὸ μήτε γλυκὺ αὐτὸ εἶναι μήτε πικρόν, καὶ διὰ τοῦτο ἐπιφθέγγεσθαι τὴν « οὐ μᾶλλον » φωνὴν σκεπτικὴν οὖσαν· διαφόρως μέντοι χρῶνται τῇ οὐ μᾶλλον φωνῇ οἵ τε Σκεπτικοὶ καὶ οἱ ἀπὸ τοῦ Δημοκρίτου· ἐκεῖνοι μὲν γὰρ ἐπὶ τοῦ μηδέτερον εἶναι τάττουσι τὴν φωνήν, ἡμεῖς δὲ ἐπὶ τοῦ ἀγνοεῖν πότερον ἀμφότερα ἢ οὐδέτερόν τί ἐστι τῶν φαινομένων· ὥστε καὶ κατὰ τοῦτο μὲν διαφέρομεν· προδηλοτάτη δὲ γίνεται ἡ διάκρισις, ὅταν ὁ Δημόκριτος λέγῃ, ἐτεῇ δὲ ἄτομα καὶ κενόν· ἐτεῇ μὲν γὰρ λέγει ἀντὶ τοῦ ἀληθείᾳ· κατ' ἀλήθειαν δὲ ὑφεστάναι λέγων τάς τε ἀτόμους καὶ τὸ κενόν, ὅτι διενήνοχεν ἡμῶν (εἰ γὰρ ἀπὸ τῆς ἀνομαλίας τῶν φαινομένων ἄρχεται) περιττὸν οἶμαι λέγειν [4]. »

[1] *Acad.*, I, 2.
[2] *Met.*, III, 5.
[3] Diog. Laert., IX, 44.
[4] *Pyrrh. Hypoth.*, I, p. 54.

Quæ autem eorumdem scriptorum, etsi inter se repugnare videntur, facile tamen consentiunt, si atomorum rationem eam fuisse reputas, quæ jure συνθητική nominetur. Quum enim negat Democritus sensibus tantummodo utendum esse, idem concludit atque sceptici : verum scilicet eos fugere, iisque in profundo penitus latere veritatem. Quare Aristotelis quidam interpres, eorum antecessor quorum sententiæ adversamur, Democritum cum Protagora æquiparat [1]. Quum vero ex specie vim veram excutit, eorumque in locum quæ confuse et diverse sentiuntur id quod clare intelligitur et unde verum oritur, inducit, certi aliquid confirmat. Quare potuit, Plutarcho auctore, multa et gravia adversus Protagoram eumdem scribere [2]. Etenim si priorem rationis ejus partem, neglecta altera, consideras, scepticus habebitur; utramque vero si velis conjungere, non scepticum fuisse tibi probatum erit, neque putavisse omnia vera hominem latere.

II. Leucippus et Democritus, ait Aristoteles, ut principia rerum sumpserunt τὸ ὂν καὶ τὸ μὴ ὄν, plenum et vacuum [3]. Non autem pura unitas est τὸ ὄν, sed ex infinita multitudine particularum constat, quæ videri non possunt, et quæ in vacuo moventur; non vero τὸ μὴ ὂν nihil est nisi cogitatum, sed intervallum quod particulas et particularum congregationes alias ex aliis sejungit.

Principia duo, quorum utrumque uno et altero

[1] Philop., in Arist. *Anim.*, B, 15, m; ap. Zeller, loc. cit.
[2] *Adv. Colot.*, 4.
[3] *Met*., I, 4.

modo, nec non inter se pugnantibus, exprimi potest, quasi capita sunt atomorum scientiæ. Si genus universum absolute consideras, ex nihilo nihil gignitur; in nihilum nil reverti potest; neque plura ex uno, aut unum ex pluribus efficere est [1]; sin autem res ipsas, generari possunt et corrumpi, in plura unum dividi in unum plura contrahi [2]. Unum est τὸ ὄν, æternum, immutatum per se et immotum; ea vero quæ fiunt, multa sunt, varia, nata, caduca; mutantur et moventur.

Quid autem est τὸ ὄν? Non infinita partitione dividi potest corpus extensum; necesse est ad certa quædam et indivisa elementa perveniamus, ultra quæ nihil excogitemus. Indivisis his corpusculis, quæ materies sunt communis omnium corporum, vere constat τὸ ὄν, unum scilicet in se ipso et per se ipsum, sed millies et millies ad infinitum repetitum. Atomorum omnia sunt quæ τῷ εἶναι tribuerunt Eleatici. Quum rerum principia non aliunde nasci possunt, neque in quidquam aliud reverti, æternæ sunt atomi [3]; quumque sunt maxime τὸ ὄν, minime admixto τῷ μὴ ὄντι, id est vacuo, omnino sunt plenæ; inde sequitur ut dividi nequeant, quum id quod dividitur ex vacuo simul et pleno, vel τῷ ὄντι et τῷ μὴ ὄντι constet [4]. Quamobrem intima earum conditio et propria natura nullo pacto mutari potest;

[1] Arist., *Phys.*, iii, 4; Alex. *in Met.*, iv, 5; Diog. Laert., ix, 44.

[2] Arist., *de Cæl.*, iii, 4; *Met.*, vii, 13; Stob., *Ecl. phys.*, i, 32.

[3] Arist., *Phys.*, viii, 1; Plutarch., *de Plac. phil.*, i, 32.

[4] « Corpora individua propter soliditatem. » Cic., *de Fin.*, i, 17.

namque, si quid mutatur, id fieri debet quia partes quædam abeunt, aut quia aliæ adducuntur; quod autem omnino plenum est, nihil in se admittit, nihil ex se emittit. Atomorum igitur non sunt ea quæ vulgus materiæ propria esse putat, nempe colorem, calorem, frigus, siccitatem, humorem; ea enim semper moventur et mutantur in contraria [1]. Omnia igitur rerum elementa æterna sunt et indivisa, immutata, et sibimet ipsis semper similia; non adeo tamen ut fieri non possit varietas rerum quæ ex atomis gignuntur.

Si igitur Democritus similes inter se atomos esse profitetur, non contendit pares et æquas esse, neque eas negat forma et magnitudine differre [2]. Forma vero maxime differunt. Quæ autem sunt atomorum formæ? Infinitæ esse debent numero; aliter enim non varietatem rerum infinitam amplecterentur [3]. Non vero præcipuas atomorum formas descripsit Democritus; globosas tantum esse scimus eas quibus ignis et anima constant [4]. Non tantum forma, sed etiam magnitudine dissimiles sunt; quum enim non puncta sunt, quæ solum cogitari possint, sed solida corpora et extensa, certa quadam magnitudine esse debent. Itaque intelligitur quomodo atomi, ejusdem formæ, aliæ aliis dissimiles, majores scilicet vel minores, esse possunt; maximæ tamen non tam magnæ sunt

[1] GALEN., *de Elem. sec. Hippoc.*, I, 2.

[2] ARIST., *Phys.*, III, 4; *de Gen. et Corr.*, I, 8; PLUTARCH., *de Plac. phil.*, I, 32.

[3] ARIST., *de Cælo*, III, 4.

[4] Ibid.

ut sensibus deprehendantur; quidquid enim percipitur dividi potest, et mutari, et virtute quadam præditum est. Ea sunt quibus inter se differunt atomi; pondus vero ad molem demensum, quod iis a quibusdam auctoribus tributum est [1], cogitavit Epicurus [2]; quo cæterum non opus est, ut infra videbimus, ad universam rationem explicandam.

Nunc de iis quæ fiunt disseramus. Quas diximus atomos infinitæ sunt numero; et in infinito moventur, quo undique circumaguntur [3]. Quum res quæcumque ex pleno et vacuo componatur, nascitur quoties plures atomi congregantur, atomis vero separatis, moritur; nec non et atomorum aucto vel minuto numero, crescit aut decrescit [4].

Quum autem res atomis constituantur, nihil eis inesse potest nisi quod ex elementis manat; ita ut nihil sit in eis sensibile, nihil ex contrariis iis quæ existere putantur, nempe calidum et frigidum, candidum et nigrum, siccum et humidum, quæ omnia nihil sunt aliud ac varii nostri corporum mensuras et formas sentiendi modi [5]. Quæ virtutes propriæ tres sunt, ῥυσμός, διάθεσις, et τρόπος, *forma* scilicet, et *ordo* et *situs* [6]. Atomos vidimus forma inter se differre; corpora igitur inter se differunt secundum formam atomorum quibus constituta sunt. Ut vero

[1] ZELLER, *op. cit.* p. 602, sq.
[2] PLUTARCH., *de Plac. phil.*, I, 32. — Cf. hujusce capituli § III.
[3] ARIST., *de Cœl.*, III, 4.
[4] ARIST., *de Gen. et Corr.*, I, 2; STOB., *Ecl. phys.*, I, 44.
[5] STOB., *Ecl. phys.*, I, 17.
[6] ARIST., *Met.*, I, 4.

iisdem cum litteris effingi potest vel tragœdia vel comœdia, ita atomis forma quidem similibus, sed alio ordine compositis et collocatis res aliæ creari possunt. Inter se igitur res tantum distinguuntur iis quæ metiri, et intelligere, non vero sentire possumus; quæ præterea corporibus inesse credimus, nihil sunt nisi vanæ species. In locum igitur mundi colorati, calidi, frigidi, sicci, humidi, ex contrariis effícti, alterum Democritus mundum supponit quem metimur et intelligimus, ex elementis compositum quæ forma tantummodo et magnitudine inter se differunt, et corporibus quibus nihil interest nisi elementorum forma et in spatio locus. Itaque haud immerito Aristoteles, de atomorum repertoribus loquens, dicere potuit : « τρόπον γάρ τινα καὶ οὗτοι πάντα τὰ ὄντα ποιοῦσιν ἀριθμοὺς καὶ ἀριθμῶν [1]. » Hoc tamen animadvertendum est, ut numeris exprimi possunt ordines et magnitudines, ita tamen hisce aliquid inest extensum quod non merus numerus est.

III. Jam quæramus quo modo res nascantur et pereant, crescant et extenuentur. Scilicet motu æternorum elementorum [2]. Parmenidis τὸ εἶναι unum est

[1] *De Cœl.* III, 4.

[2] Arist., *de Gen. Anim.*, v, 8; *Phys.*, viii, 1; *Met.*, xii, 6; Cic., *de Fin.*, i: « Ille atomos quas appellat, id est corpora individua propter soliditatem, censet in infinito inani, in quo nec summum, nec infimum, nec medium, nec ultimum, nec extremum sit, ita ferri, ut concursionibus inter se cohærescant, ex quo efficiantur ea quæ sunt, quæque cernuntur omnia, eumque motum atomorum nullo principio ex æterno tempore intelligi convenire. »

et iners ; Democriti indivisum et per se immobile [1]. Innumerabiles vero atomi in vacuo continentur et moventur, unde fit ut eorum conjunctione aut sejunctione nascantur res vel pereant, mutentur et augeantur. Motus si nullus fieret, torperet mundus ut nihil nasceretur vel periret, et omnia quo sunt in statu permanerent.

Unde autem oritur motus? Antea motus erat, ita ut originem quærendo ad infinitum regrediaris, finemque nullum invenias, quum incipere nequeat quod æternum est [2]. Quare, si ordinum mutationes et singularum finitarumque rerum compositiones in motu priore rationem habent, primi impulsus causam nullam intelligere licet [3].

Quod si quis putaret motum eum, quo congregantur et separantur atomi, fortuito fieri, nihil magis ab universa atomorum ratione discreparet. Omnia regit et amplectitur necessitas ; fortuna vero tanquam vano nomine utuntur homines, ut suam dissimulent ignorantiam ; quidquid accidit motu priore efficitur. Itaque noster, ut ait Stobæus [4], dicere poterat nihil forte fieri, et rei cujusque causam aliquam esse ; nec non, ut Plutarchus refert [5], necessitatem eam rerum providentiam vocare ; providentia enim ea est, quippe quæ omnium ratio sit, omnia regat et explicet. Causa autem qua res moventur, cæca est,

[1] SIMPLIC. *phys* , f. 96 ; ap. ZELLER, loc. cit.
[2] ARIST., *Phys.*, VIII, 1.
[3] ARIST., *Met.* XII, 6 ; *de Cœl* , III. 2.
[4] *Ecl. Phys.*, I, 5.
[5] *De Plac. phil.*, I, 25.

quod postea demonstravit Aristoteles, veraque ratio finis est. Quam non suspicatus est Democritus; omnia censet mechanice moveri. Quod si ad id tantummodo spectas, haud immerito dices concursum atomorum fortuitum esse. Sic quoque Stobæus non secum dissentit, quum judicat mundum a Democrito fictum, ratione carere[1].

Qualis autem est motus, quotque sunt ejus genera? Tria quidem esse arbitrabatur Democritus, nempe motum ex impulsu, oscillationem, et circumvectionem. Inquirenti vero quis motus cæteros gignat, liquebit profecto circumactionem hanc non obtinuisse provinciam; etenim ex elementis circumactis proxime res oriri censebat Democritus[2]. Quidam primum esse oscillationem voluerunt[3]; quod autem intelligi non potest, si ad physicam respicias et ad atomos. Unde enim ista jactatio atomorum? Aut ex ipsis, quod cum Democriti cæteris discrepat opinionibus, quum nihil peculiare, nisi formam et magnitudinem, inesse dicat atomis; aut ex impulsu vel impetu priore, itaque aliquam causam haberet, nedum ipsa esset origo; aut ex nihilo, quod neque alias omnino intelligitur, neque in Democriti doctrina. Pristinus igitur motus atomo incutitur im-

[1] *Ecl. phys.*, I, 21.

[2] Diog. Laert., ix, 45.

[3] Lafaist. *Dissert. sur la Phil. Atom.*, p. 75. Solum Stobæum oscillationis (κίνησις κατὰ παλμὸν) meminisse invenimus. Quum autem Plutarchus a quo plurima mutuatus est Eclogarum scriptor κίνησιν κατὰ πληγήν dicat, nonnulli haud immerito conjecerunt, apud Stobæum legendum esse κατὰ πλάγιον. Oscillatio igitur nulla esset; essent autem tantum modo *turbo*, δινὴ et κίνησις κατ' ἀλληλοτυπίαν.

pulsu qui ex alio impulsu ortus est. Motus igitur quo aguntur atomi, extra atomos est, ut ita dicam, neque ex ipsis nascitur; motus cujuscumque causa est impulsus, cujus ipsius prima causa inveniri non potest, neque ulla est. Inde ex iis continuis impulsionibus, quæ inter atomos in vacuo fiunt, oritur cujusque oscillatio, quæ facillime impulsum ipsum sequitur; ex illis postremo atomorum oscillationibus gignitur universus turbo, unde res omnes originem ducunt [1].

Quidam vero voluerunt res universas recto motu effici, cujus causa esset atomorum pondus [2]. Per se ipsas atomi omnes cursum eumdem tenere deberent; sed quum inæquales sint mole et pondere, tardius aliæ celerius aliæ labuntur; quare aliæ alias consequuntur; leviores gravioribus in superiorem partem spatii retro urgentur, itaque ex motibus illis diversis, repetitisque ictibus, fit circumvectio aut turbo quo tandem ingens atomorum moles torquetur.

Atomorum quæ sit vera ratio non recte judicat qui iis ejus generis propriam et intimam vim tribuit. Præter enim formam et magnitudinem, quæ externa sunt, nihil inest proprii atomis. Non sunt elementis leve et grave; in commixtis vero atomorum globulis ex imparibus pleni et vacui portionibus nascuntur [3]. Vis qua moventur omnia, extra rerum elementa viget; quod vero illis Aristoteles tribuit

[1] Cf. Renouvier, *Man. de Phil. Anc.*, lib. III, c. 6.

[2] Zeller, loc. cit.

[3] Theophr., *de Sens.*, 61, 62.

pondus, βαρύτερον κατ' ὑπεροχήν [1], eam causam habet quod majore aliqua atomo minor impellitur, quoties in perpetua rerum universarum agitatione, alia alii occurrit. Non atomo inest pondus, sed quum fit ictus, apparet; nulla alia vis est, nisi illa variæ gravitatis et varii cursus, quam mota atomus exercet, sed non in se, ut proprium nativumque aliquid, citra motum et compositiones continet. Aliter motus nasceretur ex pondere illo atomi proprio, neque dixisset Democritus motum ad infinitum regredi. Per se neque levis est neque gravis atomus; fit utrumque in mixtionibus, quum ictu aut impulsu affecta est [2]; ita Democriti fuisse hoc Cartesii credas : « Da mihi spatium et motum, mundum faciam. »

IV. Omnino nihil nascitur; res autem singulæ, congregationes nempe atomorum et nascuntur et pereunt. Motus quo et conjunguntur et separantur causa est generationis et corruptionis. Quæ agat, et quo modo, videamus.

[1] Arist., *de Gen. et Corr.*, I, 8.

[2] Multa sunt et gravissima veterum testimonia, quibus plane probatum est non esse atomis pondus proprium. Quinque in locis ubi aperte Democriti sententias explicat, nihil de illo pondere loquitur Arist., *Met.*, I, 4 ; VIII, 2 ; *de Anim*, I, 2 ; *Phys*, I, 5 ; *de Cæl*, I, 7 ; in pluribus vero confirmat atomos forma tantum et magnitudine inter se differre. Stob. quoque, *Ecl. Phys.*, I, 348, de forma tantum et magnitudine loquitur. Simplic., *Phys.*, 96, dicit atomos natura immobiles, ictu moveri. Plutarch. refert, *de Plac. Phil.*, I, 32, a Democrito duo tributa esse atomis, figuram et magnitudinem, Epicurumque tertium addidisse pondus, eam ob causam quod aliter atomi moveri non possint. Quæ vero Zellerus citat facile intelliguntur nostra interpretatione *ponderis per nimium*. Cui soli cæterum interpretationi consentiunt testimonia, quæ fontibus ex iisdem hausta, inter se tamen videntur discrepare. — Cf. Renouvier, loc., cit.

Mundi sint numero infiniti necesse est[1]; quorum quasi materies est universus turbo unde omnia emanant[2]. Omissis autem illis mundis quos existere confirmamus, quos vero numquam fieri potest ut noverimus, quæramus quomodo hic noster formatus sit.

Ex circumactione qua trahuntur omnia, simile a dissimili disjungitur[3]; quæ atomorum inter se librantur, in medio stant; leviores contra gravioribus ejiciuntur, et circa partem mediam solidamque explicantur in formam membranæ semper agitatæ, atque eo magis tenuis quo longius a centro distat[4]. Moli tamen mundi additis semper aliis atomis, quarum hæ in medium ruunt, illæ foras turbine efferuntur, ex iis quæ mediæ sunt informatur terra; ex iis quæ circa emittuntur, nascitur cœlum, ignis, et aer[5]. Attamen horum partes quædam in moles densiores coguntur : quæ primum liquidæ sunt et luteæ, sed cursu aeris ductæ, siccantur, et postremo celeritate motus inflammantur : ita fiunt sidera[6]. Interea ventorum impetu terra ablatæ sunt partes minimæ, quæ in ima concurrunt; unde formatur aqua[7].

Ita formatus in infinito inani fluit mundus; terra

[1] Arist., *Phys.*, viii, 1; Cic., *Acad.*, iv, 17; Diog. Laert., ix, 31, 44.

[2] Diog. Laert., ix, 45.

[3] Plutarch., *de Plac. Phil.*, iv, 19.

[4] Plutarch., *de Plac. phil.*, ii, 15; Stob., *Ecl. Physic.*, i, 25.

[5] Diog. Laert., ix, 32; Plutarch., *de Plac. phil.*, 1, 4.

[6] Diog. Laert., ix, 33.

[7] Plutarch., ibid.

in medio stat, complanatus cavusque discus, in aere propter latitudinem et interiorem vacuitatem natans[1]. Circa movetur aer, quo continentur astra plurima, quorum vagantur alia, alia fixa manent[2], globi materiæ vehementi agitatione inflammatæ, quorum maxime tenues et rapidi terræ distant longissime. Quorum maximi, sol et luna, non ita dissimiles sunt terræ; in luna enim sunt montes, campi vallesque[3]. Uterque primo fuerant ut terra, mundorum initia, separata a centro quod circum nunc aguntur; quæ credere est igitur, secundum Democritum, citius vel serius in orbem nostri mundi attracta fuisse. Nunc immobilis in medio terra est; sed primo, quum minor esset et levior, vagabatur in turbine, quo in medio postea stare debebat[4]. Quum, aucta mole, stetit, axis ejus ad perpendiculum erat; sed quum pars austrina imbecillior esset, paululum axis pronus fuit[5].

Is est mundus noster; ex motu ortus, ictibus peribit; atomi vero quibus constat, aliis mundis, utpote elementa, accedent; nihil enim creatur, neque quidquam perire potest.

V. Ea nunc adeamus quæ ad hominem spectant. Corpore constat homo et animo; illud autem globus atomorum est, quibus inclusæ aliæ animum quoque

[1] Plutarch., *de Plac. phil.*, iii, 10; Arist., *de Cæl.*, ii, 13.
[2] Plutarch., *de Plac. phil.*, ii, 15; Stob., *Ecl. Phys.*, i, 25.
[3] Id., *Plac.*, ii, 25; id., i, 27.
[4] Id., iii, 15.
[5] Id., iii, 10, 12.

efficiunt[1], ut is quasi corpus sit in corpore[2]. Duplex inest vis animo, vita nempe et cogitatio ; principium est quum motus, tum scientiæ[3].

Vita nihil aliud est ac motus ; quum autem motus cujuslibet nulla alia origo sit aut causa præter motum quemdam priorem, animus quo movetur corpus et ipse moveatur necesse est[4] : inde sequitur ut non qualibet forma esse animi possint atomi. Quæ autem atomorum optime et diutissime acceptum motum retinent, atque eam ob causam movere possunt graviores atomos, rotundæ sunt et conglobata figura ; animus igitur rotundis atomis componitur[5]. Cujus formæ atomi a Nostro elementa ducuntur ignis et animi, id est rerum quæ sunt maxime tenues et facillime moventur[6]; quare idem est motus et calor, ignis et animus ; perpetuus particularum animi motus calorem efficit, aut potius ipse calor est corporis.

Vivi quidem corporis partes sunt omnes vivæ ; necesse est igitur animus in toto corpore perfundatur ; unde tamen non sequitur ubicumque sibi par et æquum esse vitæ principium. Diversis in locis resident vires animi. Non tamen fortasse plane accipiendum est id quod retulit Plutarchus, scilicet in pectore collocatam esse mentem, cæterasque animi

[1] Arist., *de Anim.*, I, 2 ; Stob., *Ecl. phys.*, I, 52 ; Cic., *Tuscul.*, I, 16.

[2] Arist., *de Anim*, I, 5.

[3] Arist., *de Anim*, I, 2 ; Cic., *Tuscul.*, I, 11 : Plutarch., *de Plac. phil.*, IV. 3.

[4] Arist., *de Anim*, I, 2.

[5] Ibid.

[6] Arist., *de Anim.*, I, 2 ; *de Cæl.*, III, 4.

partes in reliquo corpore [1]. Noster forsitan in cerebro mentem, in corde iram, cupidinem in jecore inesse arbitrabatur [2].

Tamdiu corpus vivit, quamdiu in eo animi morantur atomi; egressis vero moritur. Propter autem tenuitatem earum et motum quo perpetuo moventur et extra corpus pelluntur, in continuum animantia adducuntur discrimen, cui obstat natura respiratione. In aere enim, seminario illo rerum universarum, natant atomi subtiles et rotundæ, ita ut quoties aer inspiratur, in nos penetret numerus quidam illarum earumque in locum subeat quæ sponte vel exspiratione expulsæ sunt; ut omni tempore recreetur et reficiatur pars aliqua nostri animi. Ita spiritu vita sustentatur [3]; eo cessante fugit animus, et perit animal. Quum animi pars tantum effluit, fit somnus; si pars major, mortis fit simulatio, donec spiritu resarciantur animi damna [4].

Quare quæcumque vivunt corpora, nullo excepto, omnibus esse hujus modi debet animus; quo non cadavera quidem omnino carent quum non omnino frigeant, et caloris principium sit animus [5].

Morte animus dissipatur per aera; non enim immortalis esse potest; ejus autem æterna sunt elementa.

[1] PLUT., *de Plac. phil.*, IV, 4.

[2] In fragmento quodam a Zellero, op. cit., p. 618, citato, Democritus nominat *cerebrum* φύλακα διανοίης, *cor* βασιλὶς ὀργῆς τιθηνος, et *jecur* ἐπιθυμίης αἴτιον.

[3] ARIST., *de Anim.*, I, 2; *de Respiratione*, 4.

[4] Ibid.

[5] PLUTARCH., *de Plac. phil.*, IV, 4.

Animi alterum munus est cogitare. Noster autem non id quod cogitat ab eo quod vitam gignit, sejungit ; mens illi unum et idem est atque anima [1]. Cogitatio, velut vita, motus est. Omnis enim cogitatio sensus est ; quum autem corporalia sint pariter id quod sentit, idque quod sentitur, nihil aliud est cogitatio nisi mutatio quædam atomorum quibus animus constituitur [2]. Non vero totus sensus est cogitatio : in sensu duo distinguenda sunt, materies et forma, si vocabula licet usurpare Democrito minime nota, quæ tamen plane quod putabat exprimunt. Nostrum est opus forma ; extra nos est materies. Contraria in rebus nos percipere arbitramur, candidum et nigrum, frigidum et calidum, dulce et amarum ; sed ea nulla sunt extra nos, quum quod mihi dulce est, tibi sit idem amarum, quumque eodem ab homine eadem aliter, mutatis temporibus atque ætatibus, sentiantur : cujus varietatis causa est cujusque hominis propria ἕξις [3]. Forma sunt igitur color, dulce, amarum, et cætera hujus modi [4]. Quomodo aliter se res haberet ? Quum tantummodo sint substantiæ numero infinitæ, divisionis, qualitatis quoque et affectionis expertes, quæ, si sensu complectantur, videntur alia ignis, alia aqua, alia planta, alia homo, quum uno verbo omnia sint atomi, nec

[1] ARIST., *de Anim.*, I, 2 ; STOB., *Ecl. phys.*, I, 51.

[2] ARIST., *de Anim.*, III, 3 ; *Met.*, III, 5 ; THEOP., *de Sens.*, 49 ; CIC. *de Fin.*, I, 20.

[3] THEOP., *de Sens.*, 50.

[4] SEXT. EMP., *adv. Log.*, VII. PLUTARCH., *adv. Colot.*, VII ; DIOG. LAERT., IX, 45.

quidquam aliud, num ex eo quod non est aliquid fieri potest? Num igitur color nasci ex colore carentibus? Num odor ex odoris expertibus [1]?

Sed si contrariorum varietas a nobis efficitur et extra nos projicitur, aliquid tamen externum est in sensu. Mixta scimus corpora inter se differre et forma, et ordine, et situ elementorum : quibus geometricis differentiis respondet sensuum varietas [2]. Nonnulla liceat exempla e Theophrasto expromere : « Δημόκριτος δὲ σχῆμα περιτιθεὶς ἑκάστῳ, γλυκὺν μὲν τὸν στρογγύλον καὶ εὐμεγέθη ποιεῖ· στρυφνὸν δὲ τὸν μεγαλόσχημον, τραχύν τε καὶ πολυγώνιον καὶ ἀπεριφερῆ· ὀξὺν δὲ κατὰ τοὔνομα τὸν ὀξὺν τῷ ὄγκῳ καὶ γωνιοειδῆ καὶ καμπύλον καὶ λεπτὸν καὶ ἀπεριφερῆ· δριμὺν δὲ τὸν περιφερῆ καὶ λεπτὸν καὶ γωνιοειδῆ καὶ καμπύλον [3]... Τῶν δὲ χρωμάτων ἁπλᾶ μὲν λέγει τέτταρα· λευκὸν μὲν οὖν εἶναι τὸ λεῖον· ὁ γὰρ ἂν μὴ τραχύ, μηδ' ἐπισκιάζῃ μηδὲ δυσδίοδόν τι, τοιοῦτον πᾶν λαμπρὸν εἶναι.... Τὸ δὲ μέλαν εἰ τῶν ἐναντίων, ἐκ τραχέων καὶ σκαληνῶν καὶ ἀνομοίων· οὕτω γὰρ ἂν σκιάζειν καὶ οὐκ εὐθεῖς εἶναι τοὺς πόρους οὐδ' εὐδιόδους [4]. »

Quidquid igitur sentimus figuræ cuidam respondet ; unde fit ut quotiescumque in corporibus atomorum figura vel ordo mutetur, in nobis aliqua oriatur mutatio quam sensum vocamus.

Quum autem geometricæ corporum proprietates materies sint quam sentimus, quum præterea cor-

[1] Plutarch., *adv. Colot.*, viii.
[2] Arist., *de Sens. et Sensil.*, 4 ; Stob., *Ecl. phys.*, i, 17.
[3] *De Caus. Plant.*, vi, 6.
[4] *De Sens.*, 73, ap. Mullach., *Fragm. Phil. Græc.*, p. 362, 363.

poralis sit animus, tactu, non alio ullo modo exterioribus excitari potest interius. Quare Democritus sensus omnes genera esse tangendi arbitrabatur [1]. Inde sequeretur, animo in omnibus corporis partibus diffuso, ubique in corpore effici posse tactum illum, quo absente nihil sentitur. Aliter autem se res habet. Forsitan ex hoc principio similia tantum in similia valere [2], putabat Democritus sensus nostros rebus tantum affici posse quæ ejusdem sunt atque ipsi naturæ; aut, quod magis cum universo rationis ejus genere congruit, arbitrabatur sensus singulos, propter propriam naturam, varias formas communi materiæ imponere ; hanc ob causam oculum colores percipere, et uno oculo percipi colores, quod rerum, quas videmus, figura, ordo, motus in alia corporis parte alium sensum efficiant. Certe vero id docebat, sonum per totum corpus diffundi, sed solis auribus percipi, nec aliter de cæteris sensibus definiebat [3].

Quæ vero sentiuntur, non semper proxime contingguntur sensibus; tum percipiuntur imaginibus vel idolis quæ e corporibus quorum ad speciem informantur, profluunt, et per meatus in corpora subeuntes, cum anima communicant [4]. Nihil in atomorum doctrina invenitur obscurius illa *emanationum* ratione. Utrum ad litteram accipienda est, ut creda-

[1] Arist., *de Sens.*, 4.

[2] Sext. Emp., *adv. Log.*, vii, 395.

[3] Plutarch., *Quæst conviv.*, ix ; q. 10.

[4] Cic., *de Fin.*, i, 6 ; *ad. Attic.*, ii, epist. 3 ; *ad Familiar.* xv, epist. 16 ; Plutarch., *de Plac. phil.*, iv, 8.

mus omni tempore ex corporibus aliquid emanare quod eorum figuram et elementorum ordinem exprimat, quamvis adeo sit exiguum ut per atomorum nostri corporis intervalla penetrare possit? An huic emanationum nomini aliquid subest quod potius ad motum pertineat, magisque cum ratione universa Democriti congruat? Ita se rem habere nos monuisse videtur Theophrastus : « ὁρᾶν μὲν οὖν ποιεῖ [Δημόκριτος] τῇ ἐμφάσει· ταυτὴν δ' ἰδιῶς λέγει[1]. » Non igitur parvi ponderis est definire, si id fieri potest, quam propriam et peculiarem vim huic *imaginis* vocabulo Democritus subjecerit?

Id primum animadvertamus, emanationes, si modo existunt, non reipsa coloribus, quibus videntur, distingui ; colores sunt tantummodo varii modi quibus diversam rerum superficiem percipimus ; nihil ergo essent emanationes atque atomorum globi, certæ cujusdam formæ et compositionis. Si quis autem principia quibus fundatur universa Democriti doctrina considerare velit, facile intelliget non posse ejus modi globum animum penetrare, aut saltem, si forte penetraverit, in eo sensum efficere. Omnis enim sensus et cogitatio sunt animi mutationes. In rebus autem nihil mutatur nisi quum forma alia alii formæ atomorum succedit, aut quum situs et ordo elementorum vertuntur. Quorum alterum in animo fieri minime potest, quum is rotundis atomis constans alius formæ atomos in se recipere nequeat ; ut, si animum penetraret emanans imago sensumque ibi effi-

[1] *De Sens.*, 50.

ceret, nihil perciperetur nisi rotundæ et sphericæ atomi, id est quæ animas et ignem constituunt. Quod vero ad alterum spectat, infinito numero atomorum constat animus quæ ad infinitum sexcentis modis inter se componi possunt; quaque ex compositione alius fit sensus, qui eo cum ordine et situ atomorum evanescit. Si, ut plane confirmat Democritus, sensus, quamvis a nobis propria forma inducantur, rei tamen cuidam veræ et externæ respondent; sensus omnis, id est compositio quæque animi atomorum, causam externam habet. Nullo autem modo in corpus quodlibet alio corpore agitur, nisi per offensionem et ictum, unde fit motus. Eo igitur munere fungitur imago; animi atomos ciet, illasque in eo ordine collocat qui ipsum percepti corporis ordinem exprimat. Nunc quærendum est utrum interjecto intervallo effici possit talis impulsus, an necesse sit proximus fiat contactus. Ita imago vere corpus a corpore emissum esset quod perciperetur, et id quod percipit tangendo excitaret.

Eam vero opinionem rejiciendam esse censemus. Ut enim imago animum eodem modo moveret quo movisset corpus a quo fluit, illius corporis imitatio indiscreta similitudine esse deberet; itaque eumdem haberet atomorum numerum, eæque ejusdem formæ et in eodem essent ordine; minime autem intelligi potest quomodo corpus omni tempore (Democritus enim perpetuum esse cursum imaginum arbitratur) tales sui effigies emitteret.

Nonne contra admitti potest emanationem, qualis a Democrito usurpatur, motum esse qui a re in ani-

mum transmittatur per aera? Nimium apud atomorum rationem valet motus transmissio, ut eam sententiam non verisimilem esse ducamus. Itaque imaginum incursiones vere essent motus communicati. Theophrastus cæterum, verba quæ supra protulimus explicans, plane dicit imaginem non in pupilla directo effici, sed aera inter oculum et illud quod cernitur medium, contractum ab illo quod cernitur et qui cernit *formari* : « τὴν γὰρ ἔμφασιν οὐκ εὐθὺς ἐν τῇ κορῇ γίνεσθαι, ἀλλὰ τὸν ἀέρα τὸν μέταξυ τῆς ὄψεως καὶ τοῦ ὁρωμένου τυποῦσθαι. » Quid est autem ea aeris effigies, nisi motus ipse percepti corporis per continua serpens usque in oculum ? Quod quidem cum cæteris Democriti placitis congruit, nedum repugnet.

Ea est igitur perceptio. Nunc quærendum est quomodo, si omnis perceptio quamdam induta sit mobilem speciem, et opinioni subjectam, eam detrahere potuerit Democritus, ut id agnosceret quod attingit scientia, aut, verbis aliis, quomodo ex sensu fiat cogitatio. Nullum ad nos pervenit documentum unde illud nobis explanetur ; constat tantummodo diligenter Democritum distinxisse obscurum nec legitimum sciendi genus a claro et genuino[1] ; utque contrarios et inter se oppositos sensus fallaces ducebat, ita vera habuisse atomos earumque formas motusque et præterea vacuum[2]. Ad hæc Theophrastus nos monet ab eo justam cogitationem quasi librationem

[1] Sext. Emp., *adv. Log.*, vii, 139.
[2] Diog. Laert., ix, 44.

animi existimatam fuisse [1]. Si vero cogitatio quæque animi mutatio est, omnisque mutatio animi est ordinis et situs atomorum mutatio; si ea mutatio externo motu gignitur, si denique atomi penitus latent sub conspicua et sensili specie quam iis inesse natura non putare non possumus, quomodo ab opinione transibitur ad scientiam? Quomodo, si nihil nobis est nisi perceptio sensilis, vacuum existere atomosque novisse possumus? De his conjici tantum potest. Quantum mutentur et inter se pugnent sensus quum animadvertit Democritus non potest fidem adhibere singulis eorum testimoniis; universum tamen illud testimonium, quum aliquid extra nos exstare declarent, non poterat aspernari. Aliquid illud non coloratum, calidum, frigidum, siccum, humidum, dulce vel amarum nobis videtur, sed iis præditum, quibus sine cogitari non posset, scilicet extensione et motu. Rationem igitur sequi debebat Democritus quum confirmaret atomos esse et vacuum. Quæritur vero quæ esse potuerit in hac doctrina ratio; cogitatio est series sensuum vel mutationum animi. Quomodo igitur sensus errores suos ipse potest agnoscere, et fallaces suas species rejicere, ut verum in se sub falso latens aperiat? Per rationem totam suam exstruxit doctrinam Democritus, eaque tamen hoc efficit ut omnino esse rationem neget. Ultra verum tamen labitur, ut supra vidimus, si quis inde concludit eum nihil esse certi putavisse. Scientiæ facultatem homini esse credebat, quod satis declarat illud

[1] *De Sens.*. 58.

quod doctrinam suam effinxit. Fontem vero lucis ejus reperire non potuit, quam in externas res projiciebat. Quod quidem non illius peculiare vitium, sed communes ruinæ omnium physicorum qui per motum aliquid ultra spatium et motum explicare voluerunt.

VI. Nullus esse poterat in Democriti ratione locus deo alicui mundi auctori et conservatori. Phenomena per proximam causam explicamus, scilicet per priores motus; princeps autem causa nos fugit, aut potius nulla est; cursum pergit mundus universa et ineluctabili necessitate quæ fit ex ictu et impulsu. Vulgus tamen deos esse credit, cujus opinionis, incolumi sua doctrina, rationem reddebat Democritus.

Pristini homines, aiebat, quum cœlestia miracula tuerentur, ut tonitru, fulgur, astrorum conjunctiones, solis et lunæ defectus, propter metum et ignorantiam, deos esse qui ea efficerent, excogitaverunt [1]. Errant vero, quia nihil non regit necessitas; error tamen ille rebus vere visis fundatur. Imagines, quibus vulgus deos exprimi putat, ex nihilo fieri non possunt; itaque mundus aut circumactus aer globos atomorum in se continere debet, unde profluant illa simulacra. Legitur apud Sextum: « Δημόκριτος δὲ εἴδωλά τινά φησιν ἐμπελάζειν τοῖς ἀνθρώποις... εἶναι δὲ ταῦτα μεγάλα τε καὶ ὑπερμεγέθη, καὶ δύσφθαρτα μέν, οὐκ ἄφθαρτα δέ,.... θεωρούμενα καὶ φωνὰς ἀφιέντα ὅθεν τούτων αὐτῶν φαντασίαν λαβόντες οἱ παλαιοὶ ὑπενόησαν

[1] Sext. Emp., *adv. Phys.*, IX, 152.

εἶναι θεὸν, μηδενὸς ἄλλου παρὰ ταῦτα ὄντος θεοῦ τοῦ ἀφθάρτου φύσιν ἔχοντος [1]. » Si istæ imagines, ingentes quidem, miræ, atque, si non æternæ, at diuturnæ, numina sunt, facile admiseris Democritum, non in eo nutantem, potuisse divina vocare et corpora quibus illæ imagines emittantur, et naturarum illarum cogitationes, quum idem sit atque unum effigies et res efficta. Naturæ illæ earumque imagines aliæ benigna natura, aliæ perniciosa erant; quare Democritus optabat ut bona sibi simulacra occurrerent [2]. Præsagia denique et divinatio ex iis imaginibus oriebantur, et rebus e quibus illæ profluere dicebantur [3].

Præter dæmonas illos qui hominibus et potentia et diuturnitate præstant, qui tamen in mundo partes non primas tenent, Democritus, si fides adhibebitur Plutarcho et Stobæo, Deum esse putabat, nempe mentem quamdam sub forma igneæ spheræ [4]. Cujus jam supra mentionem fecimus auctor contendit sententiam illam posterius inventam esse ne Democritus accusaretur naturam deorum omnino sustulisse; animum enim mundi, aut numen, quale id esse concipimus, nullum habere in Nostri disciplina locum [5].

[1] Sext. Emp., *adv. Physic.*, ix, 552, 553. Cf. Cic., *de Nat. Deor.*, i, 12. « Quid Democritus ? Qui cum imagines earumque circuitus in deorum numero refert, tum illam naturam quæ imagines fundat ac mittat, tum scientiam intelligentiamque nostram, nonne in maximo errore versatur ? Cumque idem omnino, quia nihil semper suo statu maneat, neget esse quicquam sempiternum, nonne deum ita tollit omnino, ut nullam opinionem ejus reliquam faciat. » Cf. August., *Epist. ad Dioscor.*

[2] Sext. Emp. *Ibid.*

[3] Ibid.

[4] Plutarch., *de Plac. Phil.*, i, 7 ; Stob., *Ecl. phys.*, i, 18.

[5] Lafaist, *op. cit.*, p. 99, sq.

Utrum rejecerit Democritus an admiserit eum mundi animum, ignoramus; res tamen cum universa illius doctrina nobis non videtur repugnare. Scimus enim in homine animum, vel motus principium, atomis rotundis constare; quid mirum igitur si in mundo Democritus spheram igneam collocavisset (ignis enim atomi qua animi eadem sunt forma), animum nempe causamque universi motus? Non secum discreparet doctrina; nam si animi et ignis atomi motores sunt, motus quo ipsi feruntur et quem vicinis alius formæ atomis communicant, non in se ipso causam habet, sed motum aliquem priorem sequitur.

VII. Non nulla nunc addamus de Abderitæ ethica disciplina, quæ, si penitus introspiciatur, apparebit cum universa atomorum doctrina cohærere, nedum, ut quidam censuerunt, illi repugnet.

Inter tot Democriti de moribus informandis et ornandis sententias, eas omittamus quæ, ad vulgi captum accommodatæ, de fortuna, de corporis voluptatum intemperantia, de pecunia, de prudentia in rebus adversis, de cupiditatibus, de laboribus, de vitiis, de benevolentia et malevolentia, de senectute, optima præcipiunt[1], et satis sit illas retinere quæ toti atomorum scientiæ congruentes, hujusce ethicæ partis principia nobis esse visæ sunt.

Duplex est in scientia comparanda via, una per sensus, altera per rationem, quarum utramque tene-

[1] Cf. Mullach., *Democ. Abder. oper. fragm.*, Lib. III.

bit, qui verum totum assequi aggreditur. Haud aliter, si velis e scientia comparata certam vitæ degendæ regulam exprimere, tum ratione, quum sensibus uteris. — Ex sensibus qui res esse confirmant, originem ducit scientia; ex illis quoque oriatur moralis disciplina necesse est. Quis est igitur vitæ finis? Qui sunt bonorum malorumve termini? Nihil novimus esse nisi quod sentitur; nihil homini extra sensuum fines in vita exquirendum. Inde illa Democriti sententia : « οὖρος ξυμφορέων καὶ ἀξυμφορέων τέρψις καὶ ἀτερπίη [1]. » Voluptas igitur unicus humanæ vitæ finis præponi debet. — Sed qui res esse nos vere monent sensus, falsa et inter se discrepantia de rebus ipsis iidem testantur, nempe rem eamdem et humidam et siccam, et calidam et frigidam; ad alterum igitur investigandi modum confugiendum est, si verum amplecti, quantum homini licet, tibimet ipsi decreveris. Ita quæ e corpore nascuntur voluptates inter se valde repugnant; breves sunt ac parum stabiles, nec non multum molestiæ post se trahunt. Inde fit ut qui mera voluptate frui vult, ad aliud quoddam necessario confugiat; qui enim solis corporis gaudet voluptatibus non novit vim veræ voluptatis, nec beatam vitam adeptus est. « Ἐν τοῖσι πᾶσι αἱ μὲν ἡδοναὶ βραχεῖαί τε καὶ δι' ὀλίγου γίνονται, ὁκόσον ἂν χρόνον ἐσθίωσι, ἢ πίνωσι, αἱ δὲ λῦπαι πολλαί. Τοῦτο μὲν γὰρ τὸ ἐπιθυμέειν αἰεὶ τῶν αὐτέων πάρεστι, καὶ ὁκόταν γένηται, ὁκοίων ἐπιθυμέουσι, διὰ ταχέος τε ἡ ἡδονὴ παροίχεται καὶ οὐδὲν ἐν αὐτέοισι

[1] Stob., *Flor.*, III, 35.

χρηστόν ἐστι, ἀλλ' ἡ τέρψις βραχεῖα καὶ αὖτις τῶν αὐτέων δέει [1]. »

Illud autem verum est quod æternum et sibimetipsi constans sub sensuum varia specie latet; hoc quoque summum bonum erit quod a sensuum perpetuo fluctu remotissimum, in se quoddam immotum continet, εὐθυμία scilicet, vel ἀθαμβίη, vel ἀθαυμασία, vel ἀταραξία, vel εὐεστώ [2], id est alta quies, et firmus ac stabilis animi status. Quoniam autem sensus, variis casibus obnoxii, non magis summum bonum quam verum gignere valent, ubi hanc εὐθυμίαν invenire licebit? Meminerimus mentem esse οἰκητήριον δαίμονος [3]; quam igitur felicitatem dare non possunt neque greges, neque aurum neque corpus, illa suppeditabit. « Ἄριστον ἀνθρώπῳ τὸν βίον διάγειν, ὡς πλεῖστα εὐθυμηθέντι καὶ ἐλάχιστα ἀνιηθέντι· τοῦτο δ' ἂν εἴη, εἴ τις μὴ ἐπὶ τοῖσι θνητοῖσι τὰς ἡδονὰς ποιέοιτο [4]. » Æterna autem sunt atomi et vacuum; qui igitur, omissis sensuum falsis imaginibus et voluptatibus, elementorum fine carentium motus, formas et compositiones contemplatur, is, non in perituris, sed in æternis rebus felicitatem posuit, caducasque voluptates spernens, et in se ipsum cogitationem vertens, optimum vitæ cursum tenet, et summum bonum consecutus est. — Ita, si, ut volunt sensus, voluptas sola per se expetenda est, negat ratio summum bonum in sensilibus rebus consis-

[1] Stob., *Flor.*, xviii, 36.

[2] Diog. Laert., ix, 45. Clem. Alex. *Strom.* ii; Cic., *de Finib.*; v. Senec., *de Tranquil.*

[3] Stob., *Ecl. eth.*, ii, 7.

[4] Stob., *Flor.* v. 24.

tere, ad majus aliquid et magis diuturuum erigit animum, eumque jubet non corpore, non opibus gaudere, sed ὀρθοσύνῃ καὶ πολυφροσύνῃ [1].

VIII. Ea summa est Democriti doctrina, quæ non ita pinguis et crassa nobis esse videtur. Si cum cæteris eam componimus, auctores ejus, vel forsitan inscii, fœdus et societatem jungere tentaverunt inter Eleaticos, a quibus notitiam et proprietates τοῦ εἶναι sumpserunt, et Ionicos, a quibus τῶν ὄντων pluralitatem acceperunt; sin autem ipsam consideramus, rationalis physica esse videbitur, quæ, jam sæpius repetita, non semel adhuc fortasse repetetur, quippe quæ, quamvis a multa parte deficiat, aliquid tamen in se habeat verum et æternum.

[1] *Democrat.* Orell., n° 6. — Vere Democriti esse quæ fragmenta Democrati Holstenius attribuit, censet Orell. : « Ipsius philosophi abderitæ fragmenta esse tantum non omnia, quæ nomine Democratis inscripta leguntur in collectionibus Holstenii et Galei, nemo facile infitias ibit, quisquis sententias hasce penitus consideraverit.... Quid quod Stobæus etiam.... omnibus Democriti nomen adcripsit, adeo ut vero simillimum sit Democratis nomen quod quum Cod. MSS. præferunt, tum Antonius et Maximus citant, vel nomen fuisse collectoris, non auctoris harum sententiarum, vel corruptum esse ex nomine Democriti. » p. viii, T. i.

Vidi ac perlegi,
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
a. d. IV. Id. April ann. MDCCCLXXIII,

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,
PATIN.

Typis mandetur,
Academiæ Parisiensis rector,
A. MOURIER.